2

AVGVSTISSIMO PRINCIPI STEPHANO, EIVS NOMINIS FOELICITER primo Regi Poloniæ, Magno Duci Lithvvaniæ &c. Transyluaniæ Principi, Domino D. suo clementissimo.

Veram in Christo Iesu salutem, ac diuturnam, prosperamq́ gubernationem.

INTER ALIAS CONCIONES sacras, Rex Serenissime, quas in ꝓximis Thorunensibus & Vvarssouiensibus Comitijs, more meo, quantum publicæ occupationes tulerunt, ad fidelem populum habui, erant etiam hæ aliquot de vero & puro (vel vt nouatores malũt) expresso, Dei verbo, & de sacræ Eucharistiæ sub vna specie communione. Quarum primam latino sermone, auribus S. Mtis vr̄æ initiò accõmodaueram: Sed postmodum ꝓpter quasdam emergentes causas à ꝓposito reuocatus, eam

paulò plus auctam, & in duas partes dis-
sectam, vulgari sermone, populo expli-
cueram. Altera verò, quæ prophanum ac
temerarium calicis vsum oppugnat, nu-
per Vuarsouiæ, audiente Serma Mtis
vræ coniuge, in Basilica S. Ioãnis, verna-
culo itidem sermone à me habita est. Eæ
fortasse ideo, quòd duo isthæc præcipua
hoctẽpore aduersariorum contra ortho-
doxã religionẽ principia, lepidis quibus-
dã argumẽtis euertere videãtur, audito-
ribus sic arriserant, vt nonnulli eas à me
scripto expeterent. Mihi verò, vbi tunc
non tam negare, quàm differre licuisset,
nunc denuo vrgentibus, quædam obtem
perandi incumbit necessitas. Ac nostra-
tium quidem auribus (vtinam verò &
mentibus, operibusque) nupera Polonica
æditione, videt esse iam satisfactum. Sed
quoniam, partim linguæ nostræ inopia,
partim lectorũ ex promiscua plebe crassi-
or Minerua, partim etiã occupata quæ-
dam festinatio, sicciùs fortasse rem illic
pertra-

pertractabat, quàm argumenti propositi
grauitas, & nouatorum nodis plusquàm
Herculeis implexa difficultas postulabat:
tum etiam, vt pluriũ vtilitati (si qua in-
de speranda esset) consuleretur: visum
est nunc Cõciones easdem, Romano eti-
am (quoad licuit) sermone comprehen-
dere. In quibus quãta supra Polonicam
æditionem facta sit accessio, eruditus &
diligens lector facilè dijudicabit. Cùm
igitur hæ quoque in lucem contendant,
non alium secundum Deum patronũ re-
petere possunt, quàm ipsam Mtẽm vram
Quẽadmodum enim illius, eiusque Sermæ
cõiugis auspicijs, primo veluti partu ena-
tæ, plurimis non inutilẽs extiterunt: ita
nunc quasi adultiores factæ, eiusdem au-
toritate & patrocinio, frugem suam fœli-
ciùs, Deo aspirante, consequentur. Eas
itaque Mtãs vra eo, qualem erga res Eccle
siæ Catholicæ gerere solet animo, ad suos
rum (eorum præsertim, quos præceps
iste & effrænatus hæreseon turbo cõuul-
 sit)

sit) ædificationem accipiat, vel potiùs, vt verè sui sint, auitæ religionis conformitate efficere contendat: nostraq́ue hæc qualiacunq́ue studia, suo Regio fauore & patrocinio prosequatur. DEus Opt: Max: Sacram Mtem Vram gratia sua cumulatam, diu sospitem ac florentem nobis cōseruet. Datum Posnaniæ Idibus Septembris, Anno à Christo nato 1578.

S. R. Mtis vræ

Humillimè & subiectissimè deuotus.

Hieronymus Ponouius, Canonicus Posnaniensis.

AD LE-

AD LECTOREM.

DE VTILITATE HVIVS LIBELLI EPIGRAMMA.

QVis Cretæ centum præclaras nesciat vrbes,
Minois medio regna superba mari?
Quis Cereris donis vberrima nesciat arua,
Laudatumq́ue mero nobiliore solum?
Hîc Labyrinthæos, opus admirabile, flexus,
Artifici posuit Dædalus ille, manu.
Dædalus ille faber toto celeberrimus orbe:
Et cœli (vt perhibent) carpere doctus iter.
Mille domos illic, ambages mille viarum,
Ancipiti fecit, multipliciq́ue dolo.
Huc semel ingressi nunquam potuêre reuerti,
Ad quæsita diu limina prima domus.
Hoc etiam Minos inclusit carcere monstrum.
Opprobrium generis perniciemq́ue sui:
Mōstrum atrox, gemina iuuenēq́ue bouēq́ue figura,
Pube tenus iuuenem, cætera membra bouem.
Solus erat qui cœca regens vestigia filo,
Theseus perplexum fallere posset iter:
Et iam Cecropio bis pastum sanguine taurum
Sterneret, inuicta roboris vsus ope.
Sed quod tam sæuum sol vidit ab æthere mōstrum,
Quis Minotaurus tam truculentus erat:
Vt sunt errorum praui Hæreseonque Magistri.
Quorū plena vides (proh dolor) esse loca?

Qui fallunt homines specie pietatis & æqui,
Sub membrisquè hoīum corda ferina gerūt.
Nam nec tot Labyrinthus habet flexusquè viasquè,
Nec sic ancipites tam variosquè dolos:
Quot sunt Hæreseon hoc nostro tempore fraudes,
Inque impugnanda Relligione doli.
Mille malas artes, peruersàque dogmata mille,
Mille imposturas Hæresis omnis habet.
Et non tot monstri perierunt cæde biformis,
Quot nunc Hæreseon improbitate cadunt.
Hunc igitur cautus vita Labyrinthon: ab illo
Haud reditum inuenias, si capiâre semel.
Hos etiam Minotauros iure esse feroces
Dicito, & hos omni sedulitate caue.
Id quod præstabis facilè, si legeris illa,
Quæ breuibus chartis dat nouus iste liber;
Solertiquè diu perpenderis omnia mente,
Atq; recondideris, quæ meminisse iuuet.
Ne saltem obdura, neq; contra obnitere victus;
Veri sit semper maxima cura tibi.

DE SVBSTANTIA SEV QVIDDITATE VERBI DEI: SVPER EVANgelium Mathæi 22.

Abeuntes Pharisæi consilium inierunt, vt caperēt Iesum in sermone.

EA EST HOMINIS PECcato corrupti cōditio, (auditores in Christo ornatissimi) vt non solùm donis illis excellentissimis gratuitis, in statu innocētiæ possessis, per inuasorem & latronem illū Dęmonē fuerit spoliatus, sed etiā in ijs, quæ naturaliter sibi innata possidebat, crudelissimè extiterit vulneratus: vt iuxta verba Apostoli, sentiat nunc aliam legem in mēbris suis, repugnantem legi mentis suæ & nō quod velit bonum, sed quod nolit malum peragat. Inde factum est, vt potentiæ, homini naturalit̄

Lucæ 10. f

Rom: 7. c

inditæ, quantò in statu gratiæ extiterant excellentiores, tantò in statu peccati, homini fiant nocentiores. Ne autem longiùs, parum oportunè diuagemur: capiamus eius rei exemplum hodierni Euangelij, ex dono linguæ. Cuius excellētia ex duobus illius officijs potissimùm dignoscit. Ad hoc enim homo creatus est, vt cōpleta in fine mūdi ruina illa Angelica, Deum in cœtu Angelico laudaret ac perpetuò celebraret, quod vtiq; lingua ab homine perficitur. Deinde quòd lingua sit rationis humanæ ac mentis interpres, qua ad imaginē Dei conditi, maximè à brutis differimus. Linguæ igitur bonus ac ordinatus vsus hominem perficit: dicente B. Iacobo: Qui non offendit in verbo hic perfectus est vir. Malus autem ac inordinatus illius vsus, nulli veneno

Peccatū originis infecit donum linguæ.

Isaię 43. c. d. Psalm. 102. d

Iacobi 3. a

neno cōparari potest, dicente Psalmista: Quid det tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? sagittæ potentis accutæ, cum carbonibus desolatorijs. Idem etiam fusè & pulcherrimè ostendit S. Iacobus, linguam esse tanq; regulam corporis, in malum vel in bonum, ad benedicendum, vel maledicendum creatorem. Fert quidam habuisse facetum & prudentem dispensatorem, qui iussus comparare p mēsa domini carnes omnium excellentissimas & suauissimas, apposuit domino linguas optimè & suauit cōditas: De quo reprehensus, carnes istas haberi pro vilissimis, respōdit, lingua optimè cōdita, nihil esse suauius & preciosius: mirificas linguæ & loquelæ humanæ laudes prædicans. Ne itaq; denuo linguas compararet, iussus est altera vice carnes vilis

Psalm. 119. a.

vilissimas conquirere: ille iterū ap⸗
posuit linguas, sed pessimis sapori⸗
bus confectas. Irato autem & quasi
illudi sibi putanti domino, respon⸗
dit: linguam malè præparatam ni⸗
hil in mūdo malicia superare. Vos
hîc auditores animaduertite, simi⸗
lia fercula Domino nr̄o, iuxta hoc
Euangelium, fuisse apposita à Pha⸗
risæis. Quid enim suauius linguis
in hunc modum personantibus?
Magister, inquiunt, scimus quia ve
rax es, & viam Dei in veritate do⸗
ces, & non est tibi cura de aliquo:
non enim respicis personam homi
num. His enim verbis Chr̄o tribu⸗
unt omnia, quę in vero & perfecto
Magistro desiderari possunt. Dicē⸗
do enim, Magister, agnoscūt eum
legitimè fuisse consecutum Magi⸗
sterij gradum, & docendi autorita⸗
tē indubiam obtinere. Deinde ad⸗
dendo

Pharisæorū contra Christum insidię. Math. 22. b.

Christꝰ perfectus Magister Pharisæis.

dendo: Scimus quia verax es: tri⸗
buunt illi doctrinę tantam perfecti⸗
onem, vt nequaq̄ falli, decipi, aut
saltem de aliquo dubitare, possit.
Tertiò, fatentur illum veritatē fi⸗
deliter docere: ita vt sicut ipse falli,
ita nec fallere quenq̄ possit aut ve⸗
lit. Deniq̄ cum scriptura dicat, mu⸗
nera excœcare oculos sapientum,
& mutare verba iustorum: vt qua⸗
si quis, tres prædictas perfectiones
obtinēs, adulationi adhuc subiectus
esse videat̄, Ideo subdunt: Non ē ti⸗
bi cura de aliquo, non enim respi⸗
cis personam hominū. Sed videte
peruersos cocos, quomodo mox
easdem linguas, sed venenosè con⸗
ditas subinferunt, dicentes: Dic er⸗
go nobis, quid tibi videtur, licetne
censum dare Cæsari, an non? Erat
tunc de censu reddēdo Cæsari gra⸗
uissima quęstio & cōcertatio apud
Iudęos

Deutor. 16.

Quæstio de censu Cæsaris, plena periculi.

Iudęos. (sicut & apud nostros non leuis esse solet) Multi enim libertatē legis iactantes (sicut nunc Hæretici, iuxta verba B. Petri, conuer-
1. Petri 2. c. 2. Petri 2 d.
tunt libertatem Christianam in licentiam carnis, quæ est vera seruitus peccati) nefas existimabant gētem Dei electam, Cęsari gētili fieri tributariam. Ideo Chr̄o libertatem Christianam prędicanti, cum offensione dicebant: Semen Abrahę su-
Ioan. 8. d
mus, nemini seruiuimus vnq̄. Sic
Ioseph. libr. 18. Antiquitat: Iudaic: cap. 1. & 2.
refert Iosephus, tēpore Christi nati quendam Theudam extitisse huius opinionis assertorem: sed quē tandem perijsse Gamaliel in Actis A-
Actor. 5. g
postolicis memorat. S. Lucas etiam
Lucæ 13 a
refert, Pilatum propter talem (vt creditur) rebellionē, aliquos Galilæos tam atrocit trucidasse, vt etiam sanguinem eorum cum sacrificijs ipsorum miscuerit. Erat ergo peri-

periculosum negationē tributi cōprobare. Ex altera autem parte, cōtraria opinio libertatem asserens, erat populo plausibilis, qui putabat Mesšiam sese à tali Cęsaris iugo liberaturum. Pharisæi autem negantes Chr̄um esse Mesšiam, hac astutia insidias illi struebant. Si enim Chr̄us negasset cēsum Cæsari dandum, accusassent eum apud Pilatū, tanti criminis, morte horrenda damnandum. Hoc enim eos falsò & per inuidiam, ipso Pilato attestante, fecisse, S. Lucas memorat. Si ve-
Lucæ 23. a
rò Christus ꝓprio iudicio censuisset censum deberi Cęsari, ꝓculdubio à populo fuisset lapidatus, vel sic destitutus, vt illum Principes (quod sæpius attentârunt) capere & perdere potuissent. Sed non est consilium contra Dominum. Sicut
Exodi 7. b
enim virga illa Aarō deuorauit virgas

Pharisæi pro prio ore cõdemnati.

gas Magorum, ita sapientia Christi exhausit astutiam Pharisæorum, vt ipsimet ꝓprio sese condamnarẽt iudicio. Etenim monetam ꝓpriam, esse signũ libertatis & absoluti dominij, experientia constat, & ex 1. Machab. libro conuincitur: vbi Antiochus, in signũ libertatis, permisit Simoni summo Sacerdoti ꝓpriæ monetæ cusionem. Fatẽtibus ergo illis, moneta sese vti Cæsaris, decernit iustissime, in licitis dñino suo omninò esse parẽdum: nec per hoc legem diuinam violari, quę cũ obedientia Cęsaris, in licitis & honestis, optime stare posit.

1. Macha. 15 a

Mystica expositio Euãgelij.

Hæc est ꝓpria & literalis Euangelij expositio, quæ nequaꝗ̃ erat omittenda. Sed quia hodie Christus in moneta, non solùm inscriptionẽ sed etiam imaginem per inscriptionem denotatam considerat. Ideo conue-

cõuenit, vt nos quoqꝫ hanc scripturæ sacræ a. monetam, quę vobis ad comparandum regnũ cœleste data est, et cuius mysteriũ & elucidatio à nobis prędicatoribus, b. veluti quidam cẽsus exigit, sensu etiam mystico morali discutiamus. Sufficiẽt autẽ nobis prima Euangelij istius ṽba: nimirũ Pharisęos inijsse cõsilium, vt caperẽt Iesum in sermone. Ex quibus vtilissima nobis ꝓueniet doctrina. Oẽs enim perturbationes, quas nunc in Ecclesia Dei, & Rep. nostra (proh dolor) cõspicimus, in fucato quodã & fallaci sermone originaliter consistunt. Videt enim mihi nr̃a Resp. nõ ineptè turri illi Babylonicæ cõparari posse. Quæ, donec populus ille in vno cœtu permanens, vnica lingua vteretur, breuissimis, quæ ibi habentur verbis, ad cœli ferè fastigium erat perducta. Quampri-

a. Prouer. 2. a

b. Mat. 25. b

Polonia nũc sermone videtur capta.

Genesis 11. a

mùm autem multiplicatis varijs, & dissonantibus linguis, ab inuicē dispersus est, turris etiā infecta relicta est, cū illa irrisione Saluatoris nostri, quando inquit: Hic homo cœpit ædificare, & non potuit perficere. Ita profectò, donec maiores nostri in ædificanda hac Repub. in vno Catholicæ Ecclesiæ gremio permanerent, & vnicam fidei linguam profiterētur, breuissimo sermone consiliorum aut Comitiorū, in hanc quam videmus amplitudinem, Poloniam nostram perduxerunt: & breuissimis legibus, in officio, pace, ac vnitate eam continuerunt. Ex quo autem diuersæ & peregrinæ religionum, vel potiùs hæresum linguę vnionem illam Christianam dissoluerunt, videmus quidem & ingemiscimus, nihil magis quàm incertos quosdam linguarū sonos, tàm de veritate Euangelica quàm

Lucæ 14. f

quàm de Repub. personare, & assiduè aures obstrepere: turrim autem charæ patriæ nostræ desertam orbi irridendam exponi vniuerso: vt verè turris Babel, hoc est confusionis dici possit: illudq; præ foribus sit, quod sapiens præmonuit, inquiens: Lingua tertia multos commouit, & dispersit illos de gente in gentem, Ciuitates muratas diuitū destruxit, & domos magnatorum effodit, virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissoluit: Vel quod Christus clarius expressit dicens: Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domū cadet. Cùm igitur hodiè de vera Ecclesia, & fide, vbinam sit, tantoperè disceptetur, & tota controuersia consistat, in vero & puro verbo Dei, quo omnes sectæ suas opiniones cōprobare

Eccles. 28. c.

Lucæ 11. e.

Argumentū & partitio Concionis.

bare contendunt: Ideo prima huius argumenti Cōcione (diuina fauente gratia) ostendam: Verbum Dei verum, non solùm esse scriptū sed etiam traditum, quo Catholica semper vsa est Ecclesia. Secunda Concio verò declarabit, scripturā non in sono, sed in sensu cōsistere: & quænam sit vera illius exponendæ regula, quæ verò tanquam Hæretica explodenda. Principiò itaque probandum nobis est, Verbū Dei non solùm esse scriptum, sed etiam oretenus traditū. Quod quatuor rationibus demōstrabo. Prima erit: Ecclesiam Dei veram extitisse, nullo verbo Dei scripto habito, sed tātum tradito. Secunda: multos libros scripturæ sacræ etiamnum deesse: in his autem qui extant, non omnia quæ gesta fuerunt, esse comprahēsa. Tertia ratio, Multa etiam ab

Verbū Dei traditum 4. capitibus cō probatur.

ab ipsis Hæreticis, quasi de fide teneri, quæ in scriptura non sunt expressa: et è cōuersò, multa in scriptura reperiri & mandari, quę Hęretici quadam traditione non obseruent. Quarta ratio erit, expresso sacræ scripturæ de hoc testimonio. Quæ quatuor argumenta suo ordine explicabo. Sed antequam id aggrediar, operæpreciū fuerit paucis indicare, qui fiat, quòd verbum Dei, cúm vnum & idem sit, aliter tamen à nobis & ab aduersarijs accipiatur? c. Sciendū igitur est: verbum Dei nihil esse aliud, quàm legem voluntatis Diuinæ, hominibus ad consequēdum finem suum peccato impeditum, supernaturaliter reuelatam. Sicut igitur verbum mentis humanæ, primùm sermone, dehinc scriptura, demū nutibus, vel alijs competentibus signis sese expli-

Verbi Dei inter Catholicos & hæreticos æqui uocum dissidium.

c. Psalm. 18. b Ioan: 6. g. 15. a.

d. Sap. 18. b. explicat: Ita sermo Dei, cùm sit D.
e. Psal. 84. b. omnipotens, vltra tales modos, e.
occulta etiam inspiratione cordib9
hominum sese ingerit: quale ver-
Iob 4. c. bum apud Beatum Iob, Verbum
absc̄oditum vocari legimus. Quod
luculenter expressit Apostolus, dū
suam ad Hebręos Epistolam sic ex-
Hebr. 1. a. orditur: Multifariam multisq; mo-
dis Deus loquens patribus in Pro-
phętis (hoc est, partim per inspi-
ratione internam, partim per scri-
pturam, partim etiam per signa &
gestus externos, prophętiæ scopū
exprimētes) nouissime diebus istis
locutus est nobis in filio suo. Hæ-
Hæreticorū de verbo Dei error. reticorum igitur errores, in vtroq;
horum extremo versantur. Nam
cœlestes Prophætæ, & Anabapti-
stæ, verbum Dei in occultis quibus
dam reuelationibus et inspirationi-
bus potissimùm statuūt: reliqui fe-
re hę-

rè hæretici ad chartam & atramen-
tum (contra S. Ioannis sentētiam) 2. Ioan. 1. d.
hoc est ad solam scripturam, illud 3. Ioan. 1. d.
reuocant. Ecclesia autem Catholi-
ca mediam veritatis retinet viam.
Credit enim, verbum Dei, à Spiri-
sancto per charitatē, f. tabulis cor- f. Ierem. 31. f.
dis Christianorum sic imprimi, vt 2. Corint. 3. a
tamen ea illius pars, quæ secūdum Hebr. 8. c
g. Apostolum ad docendum, argu- g. 2. Tim. 3. d
endum, & corripiendum omnibus
magis est necessaria, scripturæ fue-
rit commendata. Rationem autē
verbi, quoad secretiora salutis my-
steria, in sermone Traditionū Di-
uinarum fuisse reseruatam: Vtri-
usq; demum traditi & scripti verbi
sensum & regulam, ex Ecclesiæ Ca
tholicæ authoritate dependere. Et
hoc vult Apostolus cùm inquit: Philipē. 3. c.
Quicunq; ergo perfecti sumus hoc
sentiamus: Et si quid aliter (non

 aliud

aliud) sapitis, & hoc vobis Deus reuelauit. Verũtamẽ ad quod peruenimus, vt idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula. Et alibi communẽ Corinthiorum Ecclesiam, prophætias more Synagogæ etiam tunc seruato, tractantem sic alloquitur: Si non fuerit interpres, taceat in Ecclesia: sibi autem loquatur & Deo (id ẽ priuatim meditetur, & oret) Prophętæ autẽ duo aut tres dicant, & cœteri dijudicẽt. Et paulò post subdit: Non enim est dissensionis Deus sed pacis &c.

1. Cor. 14. f

Cùm igitur hæretici in ipso statim verbi Diuini fundamento vacillẽt, nil mirum, reliquam eorum dogmatũ structuram, sua ipsius mole corruere. Quod iam quatuor propositis capitibus comprobabo.

Ecclesia potuit esse & erat, sine scriptura, nō tamen sine verbo Dei.

Primùm igitur, Ecclesiam fuisse sine verbo Dei scripto sed tradito,

ostendi potest ab initio mundi & ipsius scripturæ. Cõstat enim Pentateuchum, hoc est quinq; libros Mosis, h. à Moyse fuisse conscriptos, & Synagogæ traditos, à qua ad nos peruenerũt. i. Moyses autẽ vltra duo millia annorũ, à creatione mũdi natus ẽ, & nihil interea eiꝰ q̃ nũc extat, fuit scripturę, qa Moyses incipit historiã sacrã à creatione mundi vsq; ad obitum suum. Ecclesia tamen nunq̃ per illa duo millia annorum defecit, ex quo ab Adã, vel Abel iusto orta est: Multi enim sancti tunc extiterunt, vt Abel, Enoch, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Loth, & pleriq; alij, qui certè verbo Dei non caruerunt: quia teste Psalmista, verbũ Dei est, quod cõuertit animas, oculos illuminat, & sapientiam pręstat paruulis. Erat igitur verbum diui-

h. Exod. 24 a
Deutor. 31. b

i. Exodi 2. a.

Psalm. 18. b.

nitus inſpiratum, vel per Angelos reuelatũ, non tamen ſcribebat, ſed per manus traditũ conſeruabat. Et cõſequẽter bis mille ãnos erat vera Dei Eccleſia, ſine verbo Dei, quod nũc extat, ſcripto. Secundò, cõſtat Moyſẽ decẽ k. duntaxat legis mandata ſcripta à Deo accepiſſe, alia verò nõnulla l. oretenus ſibi tradita peruulgaſſe: reliqua autem omnia quæ tribꝰ poſtremis libris continẽtur, Moſem m. quaſi interpretando addidiſſe: adeò vt Deutoronomium, quaſi altera, ſeu denuo repetita lex, vltimus Moſis liber vocatus fuerit. Huc accedit, quòd Ioſephus, Tertullianus, Irenæus, & Euſebius, antiquiſsimi ſcriptores tradunt, in deuaſtatione Babylonica templi Hieroſolymitani, libros legis & ſcripturæ quotquot extarent, fuiſſe combuſtos: cùmq; eorũ exem-

k. Exod. 34. d
l. Deuto. 4 b
m. Deutor. 24. a.
Math. 19. a.

Ioſeph. lib. 11. Antiqui: cap. 5.
Tertullianꝰ li. de habitu muliebri.
Irenæus lib. 3. con. hæreſes cap. 23 &c
Euſeub. lib. 5. hiſto. cap. 8. & 1 Chrõ. 4. Reg. 25. b

exẽpla nuſq; haberent, Eſdrã prophætã denuò, prout memoria tenebat, libros eoſdẽ cõſcripſiſſe, quos nunc habemus. Conſiderent ergo nouatores, quanta traditio fuerit, tot alienas Prophetias, vnius hominis memoriæ concrediſſe, & per illud tempus donec tanta librorũ moles hoc pacto reſtitueretur, verbo vtique tradito, illam Eccleſiam vſam fuiſſe. Hic omitto Abimelechum, Iob, Melchiſedech, & ſimiles, qui inter gentiles viuentes, & ſcriptura prorſus deſtituti, tamen Deo chari extiterunt. Hæc ſatis clara, in lege Euãgelica, adhuc clariora apparebunt. Chriſtus enim Magiſter noſter, iam cœlos conſcenſurus tale mandatum Apoſtolis dedit: Euntes, inquit, in mundũ vniuerſum, prædicate Euangelium &c. Cùm autem non dixerit, ſcribite

Geneſis 20. a 26. b. 14. d.
Iob 1.

Lex noua quã nitatur Traditione.

Marci 16. d.

bite, sequitur quòd non erat necessarium, Euangelium vel doctrinam sacram literis mandari, vt postea fusius ostendam. Vbi S. Marcus statim post hæc verba addit: Illi verò profecti, prædicauerunt vbiq; &c. Ex quo sequitur vocali prędicatione, non autē scriptura, Apostolos mundum conuertisse. Quod clarissimè conuincitur ex Eusebio, & Irenæo, qui testantur, S. Mathęum nouem annis post Ascensionē Domini, Euangelium suum composuisse: illud autem sexto postea anno, cùm ad prædicandum gentibus abiret, Iudæis à se conuersis legendum exhibuisse. Ex quo liquet quindecim, vel (vt alij computant, & ex autoribus allegatis colligitur) viginti, annos post Chrī ascensionē Ecclesiam nouæ legis sine scripto Euangelio extitisse. De alijs Euangelijs

EVangelia tardius scripto promulgata.
Eusebi. lib. 3. histo. Eccles. cap. 18. Item lib. 5. cap. 8.
Irenæus lib. 3. contra hęreses cap. 1.

gelijs idē dixeris, quæ Mathæi Euāgelium subsecuta fuisse nemo ambigit. S. Marcus enim erat veluti abbreuiator S. Mathæi, vt legenti palàm esse potest. S. Lucas verò quæ ab vtroq; horū aliquomodo cōfusè scripta reperit, in historicum ordinē redegit: quibusdam additis, quę ipse se ab alijs, qui cū Domino fuerant, per traditionem accepisse, in Procemio sui Euangelij memorat. Vnde conuincitur, Euangelium S. Lucæ traditionē esse scripto æditā: quæ tamē antehac tot annos ore tenus in Ecclesia seruabatur. S. Ioannes etiam teste B. Hieronymo & alijs, nouissimè omnium scripsit Euangelium, post deuastationem Hierosolymæ, quæ quadragesimo post ascensionē Domini anno cōtigerat. Iam enim tum tēporis vigebat Cerinthus & Ebion, diuinitatē Christi

S. Hieronym. in Catalogo scriptorum Ecclesiast.
Eusebiu. loco citato.
Epiphanius lib. 2. hæresi 51.

Christi ex Euangelio S. Mathæi & Marci impugnantes. Contra quos S. Ioannes rogatus ab Asiæ Episcopis suum ædidit Euangelium, Diuinam Christi generationem ab alijs omissam, pertractans, & quædam gesta Christi, primo & secundo prædicationis suæ anno referẽs, quæ alij Euangelistæ omiserant, vt S. Hieronymus ibidem docet. Idem probari posset, si tempus sufficeret, de alijs noui testamenti libris, videlicet de actis Apostolorũ, Epistolis Apostolicis, & Apocalypsi: quæ Euangelijs posteriora esse vel saltem pleraque eorum, ipsa ratio indicat. Ex quibus omnibus efficacissimè probatur propositio nostra: verbum Dei nõ consistere in sola scriptura. Siquidẽ per tot annos Ecclesia veteris & noui testamenti etiam verbo tradito gubernabatur

nabatur: Scriptum autem postea erat, non ex necessitate, vel mandato diuino (siquidem nullibi extat) sed quasi per accidens, ob Christiani populi propagationem, apud quem Apostoli, semper præsentes esse nõ poterant. Reliquas tres rationes breuiter expediam. Secũda ergo ratio assertionis nostrę est. Quòd multi libri sacræ scripturæ perierunt, in quibus reliqua quæ modò tradita habemus, contenta fuisse, valdè probabile est: dicente Apostolo: Quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt: ij autem libri magna ex parte, tempore D. Pauli extiterunt: Ergo (si aduersariorum consequentia valida est) eos quoque necessarios intelligebat. Vt autem breuitatis causa omittã sacra volumina deperdita, quæ sæpè citantur ab antiquissimis sanctis

Sacræ Scripturæ volumina deperdita.

Rom. 15. a

sanctis Patribus, qui talia volumina legerunt, & illis quandoque in testimonium vsi sunt, tantum attingam aliquos libros sacros, quorum in ipsa sacra scriptura quę extat, expressa fit mētio. Nam S. Iudas Thadęus Apostolus, meminit in sua Canonica Prophetiæ ENoch ante Moysen, quæ in Biblijs non extat. Numerorum cap. 21. fit mentio libri bellorum domini, ad quem ibi lectorē remittit. Iosuæ 10. cap. memoratur liber Iustorum: Similiter 2. Regum 1. Et 1. Paralipomenon cap. vltimo fit mētio librorum Nathan Prophetæ, & voluminis Gad videntis. 2. Paralip. cap. 6. refertur de scriptura Nathan, & libro Aiæ Silonitis, & visione Ado videntis. 2. Paralip. 20. de historia Iehu: & cap. 33. de sermonibus Regū Israel & sermonibus Osai. Item 2. Machab.

Iudæ 1. c.

chab. cap. 2. citantur Descriptiones Ieremiæ Prophetæ: & cap. 5. fit mentio librorum Iasonis. Qui omnes libri, modò in Canone Bibliorum non extant. In nouo autē Testamento hæc sunt rariora, eò quòd Apostoli nō intēdebant scripturæ, sed prædicationi. Tamen in Epistola ad Colosenses cap. 4. S. Paulus meminit Epistolæ ad Laodicenses missæ, quę non extat, vel cēsetur apocrypha. Quam tamē quędam singularia continuisse innuit, cùm addit, vt eædem Ecclesiæ Epistolam illam vtramque, inuicem sibi communicassent. Ex 1. Epistolæ ad Corinthios cap. 5. colligitur, tertiam ad Corinthios Pauli Epistolam intercidisse. Sic 2. ad Timothæum cap. 3. D. Paulus tradit Iannem & Mambrē restitisse quondam Moysi: quod ita expressè in historia

 Moysis

Moysis nusquam legimus. Quæ omnia supra enumerata volumina, & similia quæ omissa sunt, si extitissent, haberemus sine dubio Biblia duplo, quàm nunc sunt maiora. Quāuis igitur omnia ad salutem necessaria scribi oporteret (quod hæreticis nō cōcedimus) valde probabile & quasi necessarium est, hæc quæ in nostris libris omissa sunt, in illis tot voluminibus contenta fuisse. Aut ergo hæretici integrā scripturam nobis depromant, aut traditiones diuinas nobiscum admittant.

Non omnia dicta vel gesta, vt fiebāt scriptura refert.

Ad hanc etiam rationem pertinet, quòd non omnia, quæ ad nostram doctrinam gesta fuerunt, scriptura sacra refert. Nam (vt exempla veteris instrumenti omittam) teste S. Augustino & Gregorio, omnis Christi actio, est nostra instructio: & tamē plurima dicta & facta Chri-

fue-

fuerunt ab Euāgelistis omissa. Tres enim priores Euangelistæ, tantùm ferè gesta vltimi anni describunt, reliquis triginta & duobus annis vitæ & prædicationis Christi omissis. Ne tamen quis putaret, Christū reliquis annis fuisse pro nostra salute ociosum, describunt illius natiuitatem, & S. Lucas anno duodecimo in templo disputationē. Si ergo circa Christum in cunis vagientem, multa nobis vtilia acta sunt, quantò magis cùm ætatem puerilē attigisset, quo tēpore iam à S. Luca memoratur plenus sapientia extitisse? Rursus, si anno ætatis suæ duodecimo Doctores legis confutauit, quid putamus eum fecisse, cùm in dies sapientia secūdum humanitatem dicitur profecisse? Deinde non existimandum est, omnia quæ Christus illo triennio prædicationis

Lucæ 2. g

Christi doctrinæ modica pars descripta.

tionis suæ gessit vel docuit, fuisse ab Euãgelistis enarrata. Tres enim cum medio annos Christus prædi-
Math. 26. c cabat, & nunquam (vt ipse de se testatur) ab operibus salutis nostræ ociosus erat. Apparet autem Euange-
Ioan. 18. d. listas, paucos admodum dies prædicationis suę annotasse, & sępe sępius cõmemorare, Christum quidẽ docuisse, sed quid & quomodo doceret, omninò reticere. Iam si quis alias quotidianas ferè Christi conciones contulerit, cum illa quam S.
Math. 5. Matheus in monte Dominum habuisse refert, quę aliquot horis expedita, aliquot tamen capita Euangelij occupat, & historiam passionis Christi, quę paucis diebus exacta, & summariè descripta, bonam nihilominus partem Euangelij cõficit: vel inuitus fatebitur, minimã partem doctrinę Christi fuisse an-

notatam. S. Lucas etiam testatur, Actor. 1. a
Christum post resurrectionẽ suam quadraginta diebus cum Apostolis conuersatum, de regno Dei eis locutũ fuisse. Sic S. Paulus affirmat, 1. Cor. 15. a
Christum post resurrectionẽ suam, primò apparuisse Cęphę, hoc ẽ Petro, postea S. Iacobo, demúm plus quàm quingentis fratribus simul.
Idem in Actis Apostolorum testatur, Christum dicere solitum fuisse Actorũ 20 g
hęc verba: Beatius est semper magis dare, quàm accipere (quę regula nunc, pręsertim apud aulam, locum non habet) Horum tamen, quę commemoraui, nulla prorsus apud quenquam Euangelistam extat mentio. Ideo S. Ioannes, quàmuis Ioã. 20. a
postremus Euangelium scripserit, bis tamen in conclusione addit: Multa alia Christum fecisse, quę si scriberẽtur, mundus libros de hoc

conficiendos non caperet. Ex quibus verbis S. Augustinus & Nicephorus, hoc quod nos asserimus, efficacissimè cōprobant. Talia etiam ex reliquis libris colligi possent nisi nos tēpus vrgeret. Nam S. Lucas in fine Actuum Apostolicorū testatur, S. Paulum per totum biēnium mansisse Romæ, prædicādo & docendo de regno Dei, & de Christo: quorum tamen nihil memoriæ est proditum. Sed reliqua omitto. Tertia ratio est bimembris. Primò enim Hæretici multa de fide tenent, quæ non habentur in scriptura expressa. Inprimis autem hoc ipsum falsum principium, nihil esse tenendum sine expressa scriptura, nusquam per tota Biblia reperient. Secundò: Credunt Symbolum Apostolorum, quod non continetur expressè in scriptura.

Aug. de verbis Domini homelia 44. Niceph. lib. 1. hist. Eccl. cap. 24.

Actor. 28. g

Traditiones Hæreticorū.

Tertiò, Symbolum S. Athanasij. Quartò, Symbolum Constantinopolitanum. Quintò, Infantes esse baptisandos: immo scriptura videtur contradicere [n] quando actum fidei in baptisandis requirit. Sextò, diem Dominicum pro [o] Sabbato. Septimò, Pascha alio tēpore, quàm scriptura [p] præscribit. Octauò, Similiter [q] Pentecosten. Et alia plura eiusmodi enumerari possēt. Si igitur in aliquibus admittunt traditiones, ergò etiam in alijs cum Ecclesia admittere debent: quia sic apertè falsum est illorum principium, nihil esse tenendum, quod scriptura non exprimat. Secundò: rursus è conuersò, multa non tenent, quæ expressè habet vel præcipit scriptura. Ex talibus hæc potissimum occurrunt. Primò Act. 15. Apostoli in Concilio decreuerunt fideles ab-

n. Mar. 6. c

o. Genes. 2. a Exodi 20. b Actor. 13.

p. Exod. 12. a Numer. 9. a Ezech. 45. f.

q. Exod. 19. a Acto. 2. 20. c

stinere à sãguine & suffocato, quod illi non obseruant. Secundò, Paulus prohibet ^x^ mulierem alios docere: tamẽ apud illos hoc est vsitatissimum. Tertiò, idem statuit, ^y^ vt mulieres in Ecclesia nõ nisi velato capite (hoc est facie) appareant, ꝓpter Angelos, id est, ne etiam piorum deuotio perturbetur: eorum autem fœminæ prorsus contrariũ agunt. Quartò: Chrus iubet ieiunantes inungere caput suum oleo: illi neutrũ faciunt, & tota inunctio ad solũ os defluxit, dum in ieiunijs pinguibus gaudẽt. Quintò, Chrus docet tollenti vestem, tunicam etiam addendam: & percutienti maxillam dextram, alteram etiam præbendam esse. Sed ô gentem (si Deo placet) Euangelicam, quæ nedum talia faciat, auaritia, ira, & vindicta ^t^ Saracenos etiam vincere comꝓbatur.

x. 1. Cor. 14. f 1. Tim. 2. d.
y. 1. Cor. 11. b
Math. 6. b
Math. 5. f.
t. Cõsule Dubitantiũ Lindani Dial. 2

batur. Ex quibus & similibus, quæ ob temporis angustiam relinquo, satis clarum est, hæreticos etiam inuitos & incautos, traditiones præter sacram scripturam cõꝓbare. Quartò deniq;, hoc manifesta scriptura conuincitur. Sufficiant autẽ nobis aliquot ea de re testimonia. Primum est Ioannis 16. Christus enim ad passionem iturus, sic Apostolos alloquitur: Multa, inquit, habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit Spiritus S. ille vos docebit oẽm veritatem. Vbi cùm dicit, oẽm veritatẽ, certè intelligit totam doctrinã, quæ per Apostolos, & eorum successores, ad finẽ mundi, in Ecclesia, fidelibus ꝓ eorũ capacitate magis ac magis elucidari debebat. In hunc enim sensum Salomõ Ecclesiam Dei comparauit auroræ, vt

Traditiones comprobãtur scriptura
Ecclesia successiuè docetur à Spũ S.
Cantic. 6.

Psalm. 18. a
poté, quæ semper in luce doctrinæ & vitæ proficiat: Et Dauid de prędicatione Apostolica prædicans dicit: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Chri-
Ioan. 4. b.
stus etiam ipse dicebat: Qui in me credit, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora his faciet, quia ego ad patrem vado. Quod non tam intelligitur de miraculis, quæ nunc rariora sunt in Ecclesia, quàm de doctrinæ profectu. Sic Paulus Corinthijs, iam in fide satis edoctis, scribit: Tanquam paruulis in Chri-
1. Cor. 3. a
sto, lac vobis potũ dedi non escam: nondum enim poteratis, sed et nũc non potestis, adhuc enim carnales estis. Et ad Hebr. 5. arguit ex Hebręis Christianos, qui tanq̃ paruuli, solidum cibum doctrinæ ferre non poterant. Quod si contra tam euidentes rõnes dicas, illa ad Apo-

sto-

stolos tantùm fuisse à Domino dicta, qui in Pentecoste Spiritum sanctum acceperunt. Primùm dico, hoc stare non posse: quia Christus promittit ibi omnem veritatem: Tempore autem Apostolorum etiam præcipui articuli fidei nostræ, de Sanctissima Trinitate, Incarnatione, Diuinitate Christi, de Sacrificio, de Sacramentorum formis, præsertim verò Baptismi (quia aliquando tantùm in nomine Christi baptisabant, præter expressam à Christo formam) non erant propter infirmitatem recens conuersorum fidelium, ita plenè vt nũc explicati. Sequitur ergo, quòd etiam eos intellexit, qui Apostolis in prędicanda doctrina succederent: sicut Mathæi vltimo, solos vndecim Apostolos alloquens dicebat: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus
Actor. 19. a
Math. 28. d

vsq;

vsq; ad consummationem sœculi. Posito autem hoc, illam ꝓmissionē tantùm ad Apostolos pertinuisse. Quæro: quandoquidē omnibus ex æquo facta fuerat, cur nobis adeo pauca scripta reliquerunt? Siquidem S. Paulus, adhuc spirans minas & cædes in Ecclesiam, non erat illius ꝓmissionis particeps: tamen multò plura scripsit, quàm reliqui duodecim Apostoli. Epistolæ enim Pauli, præter has, quæ interciderūt, sunt quatuordecim: ex reliquis autem Apostolis tantùm S. Petrus, Iacobus, Ioannes, & Iudas, valde pauca scripserūt: Euangelia enim ad hanc promissionem non pertinēt: quia Chr̄us Euangelium ipse docuit, illic autem supplementum doctrinæ per Spiritum sanctū promittitur. Epistolæ autem illorū quatuor Apostolorum valde sunt

Apostolorū doctrina, maxima ex parte perijt, si Traditione non cōstat.

Actorū 9. a.

paucæ

paucæ & breues: quomodo ergo in illis omnis veritas est compræhensa? Quid autem de reliquis septem Apostolis, qui nec literam vllam scriptam nobis reliquerunt: cùm tamen eandem promissionem à Christo accepissent? Aut ergo hæretici doctrinam ipsorum simul cum ipsis perijsse (quod impium esset) aut eam ex traditionibus haberi, fateantur necesse est. Secundum testimonium assertionis nostræ desumitur ex 2. ad Tessalonicenses cap 2. Tenete (inquit sanctus Paulus) traditiones, quas accepistis, siue per sermonem, siue per Epistolam. Ecce Apostolus expresse verbum Dei vocat traditiones: quas demum partitur, in eas quæ viua voce, & quæ per scripturam æditæ sunt.

Verbum Dei Paulo dicitur Traditio

Primo

Primo autem loco ponit traditiones per sermnoem; quandoquidē Christus doctrinam suam iussit prędicare, & non scribere: eò quod scriptura multis calumnijs & casibus humanis est subiecta: sicut iampridem ex fraudibus Iudæorum & hereticorum experta est Ecclesia: Et nostris tēporibus u Lutherus ipsorū antesignanus, & tertius (si Deo placet) Elias, in sua versione Bibliorum, trecēta & amplius loca corrupisse, & pro libito immutasse depræhensus est. Quod suis quoque tēporibus expertus est S. Ioannes Apostolus. Sic enim ad Ecclesiam scribit: Plura, inquit, habens vobis scribere, noluí per chartā & atramentum: spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui, vt gaudium vestrum plenum sit. Et in tertia sua Epistola idem ferè repetit.

Math. 28. d. Verbum Dei cur totū scribi non expediuerit.

u. Vide Staphilū 2. parte Apologię

2. Ioan. 1. d.
3. Ioan. 1. d.

Ex

Ex quibus luce meridiana clarius ē doctrinam Euangelicam, non in charta, sed in cordibus hominum, per vocalem prædicationem consistere: De quo etiam Apostolus sic Corinthijs scribit: Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus: manifestati quòd Epistola estis Christi, ministrata à nobis & scripta, non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Apostoli igitur doctrinam Euangelicam viuæ vocis oraculo, per mundum disseminabant: sed (vt tradit Eusebius) aucto postmodum populo Christiano per varias mundi longè dissitas partes, absentes iam voce cōuersos, per scripturam in fide confirmabant: sicut & modo scripturæ vel literarum, propter

2. Cor. 3. a

Euangelium cur successiue scriptum fuerat.
Euseb. lib. 3 hist. Eccl. cap. 18.

pter absentum necessitatē, vsus esse solet. Non tamen sequitur, omnem doctrinam Euāgelicā in scriptura vel in Epistolis contineri, vt nouatores contēdunt. Quæ omnia idē Eusebius alibi eggregiè his verbis complexus est: Moyses (inquit) in tabulis inanimatis, Christus autem in mentibus vita præditis, perfecta noui testamenti documenta descripsit. Eius verò discipuli, ad Magistri sui nutum, auribus multorum doctrinam suam commodantes, quæcunq; quidem veluti vltra habitum progressis, à perfecto ipsorū magistro præcepta fuerunt, ea ijs qui capere poterant tradiderunt. Quæcunq; verò ijs conuenire arbitrabantur, qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent, curationisq; indigentes: ea ipsi, ad imbecillitatem multorum se demittētes, partim

Idem lib. 1. Demonstrat: Euāg. cap. 8.

partim literis, partim sine literis, quasi iure quodam non scripto seruanda commendārunt. Hæc Eusebius. Ex quibus verbis clarum est, non solùm plurima, quibus fides nostra nititur, sed etiam ea, quæ in lege Christiana maximi censentur esse momēti, in sacram scripturam non fuisse congesta, sed traditione conseruata. Hoc insuper, sicut ex pluribus alijs locis ostendi posset: ita ex hoc conuincitur, quòd sanctus Paulus Romanis, quos nunquàm antehac viderat, accuratè scribens, tamen versus finem Epistolæ addit: Certus sum, inquit, de vobis, quòd pleni estis dilectione, repleti omni scientia: Ideo vobis audacius scripsi, in memoriam vos reducēs. Dicat ergo hæreticus, vbi sunt scripta illa, quibus Romani conuersi initio fuerant? Ad eundem modū idem

Epistolæ Apostolorum in quem finē scriptæ.

Rom. 15. c.

D

idē Apoſtolus, primam ad Corinthios Epiſtolam ſcribens, ferè illius initio reprehendit eos de diſſenſione, quòd alij conuerſionem ſuā tribuerent Paulo, alij Cæphæ, alij Apollo. Vnde clarum eſt, eos iam pridem, anteq̃ ad eos ſcriberet, tātos fuiſſe fidei Chriſtianæ zelatores vt etiam de dignitate Doctorum ſuorum tantopere contenderent. Et in eadem Epiſtola, breuibus verbis redigit Corinthijs in memoriam, quod præſens de Eucharistia fuſius tradiderat, dicens: Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis &c. non per ſcripturam certè, quia hoc nuſq̃ legitur, ergo per prædicationem. Deinde in fine huius doctrinæ addit: Cætera cùm venero diſponam: Quaſi indignum & periculoſum exiſtimans, tanta de ratione ſacrificij incruenti myſteria

1. Cor. 1. b.

1. Cor. 11. d.

ſteria, chartæ & atramento cōcredere. Similiter S. Petrus ita ſcriptū reliquit: Propter quod incipiam vos ſemper commonere de ijs, & quidem ſcientes, & confirmatos in præſenti veritate. Ex quibꝰ omnibus neceſſariò concluditur, Apoſtolos fidem Chriſtianam oretenus tradidiſſe: ſcripſiſſe autē quædam per accidens, ꝓpter abſentium cōmonendi neceſsitatem, vel de aliquibus dubijs clarius inſtruēdi vtilitatem. Et hac ratione nos Catholici admittimus, & amplectimur ſcripturas, vt quæ in illis omiſſa, & obſcurius tradita ſunt, per verbum traditum ſuppleantur & eluciden tur. Et ſic conſequenter manifeſtè oſtenſum eſt, nouatores in hoc ſuo fundamēto, toto, vt aiunt, cœlo errare; neq̃ mirum eſſe, ſi deinde reliquæ eorum doctrinæ partes ruāt,

2. Petr. 1. b.

Catholici verbum Dei integrū amplectuntur.

 & ſub-

& subsistere nequaquam possint. Hic tamen sciendum est, Traditiones in Ecclesia esse triplices, vt ex S. Concilio Tridentino colligitur. Aliquæ enim sunt traditiones diuinæ, quales hac Concione ostendimus, quæ sacræ scripturæ, tanquam illius pars, meritò coęquantur. Aliæ traditiones sunt diuinæ Apostolicæ, hoc est ab Apostolis, tanquam Ecclesiæ pastoribus institutæ, & posteritati traditę, quæ etiam sacrę scripturę habēt autoritatem: eò quòd ex instinctu Spiritus sancti processerint: & quòd Apostoli erant fundatores Ecclesię Christi, & duces nostri, vt eos S. Dionysius sępè appellat: Tales sunt, Baptismus paruulorum, Signū crucis, festa Christianorum, & stata ieiunia, Consecratio tēplorum, vsus Chrismatis, & alię huius generis: De quibus S. Augu-

Traditiones triplices. Sess. 4. cap. 1.

1. 2. Thess. 2. c 2. Cor. 5. d. Ephes. 2. d.

Augustinus in aliquot locis dat generalem regulam: Ea quæ ab Ecclesia vniuersali passim antiquitus seruantur, & in scriptura nō sunt expressa, certò esse tales Apostolicas traditiones. Reliquæ sunt traditiones particulares, vt quidam ritus priuati Ecclesiarum, qui à Pastoribus instituti, pro temporū & locorum diuersitate mutantur: vt quidam cantus, processiones, cærimonię, quæ non per totam seruantur Ecclesiā. In quibus frustra nos Heretici dissensionis & mutationis arguunt. Ad astruendam autē maiorem fidem eorum quæ dicta sunt, possem complura alia argumenta, ex Sacrosanctis COnciliis, sententiis Orthodoxorum Patrum, & ex ipsa ratione desumpta, huc conferre: Sed ad tantas temporis angustias redactus, eas omit-

Aug. Epist. 118. ad Ianu. & lib. 3. cōtra Donatistas sæpius.

Veritas. superfluis probationibus nō indiget.

 to.

to. Pręsertim cùm pertinacibus euidentissima quęque argumenta, parum vtilia esse soleant & suspecta: iuxta illud Apostoli: Mali homines & seductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes. De vobis charissimi, quos deuotè attentos auditores esse cerno, hoc mihi omnino persuadeo, quòd in ijs, quæ breuiter quidē, sed (vt spero) efficaciter dicta sunt, cōquiescetis: & eos animi neruos, quos curiosi ad inanes verborum pugnas intendere assolent, ad ea, quæ ab Ecclesia Catholica edocemini, factis cōprobanda, totis viribus conuertetis. Etenim in die Iudicij, non quęretur à nobis quid legimus, sed quid fecimus. nec quàm benè diximus, sed quàm religiosè viximus. Quod etiam Beatus Iacobus Apostolus præmonet, sic inquiens:

2. Timot. 3. c

Officium pij Christiani, in religiōis dissidio.

Iacobi 3. a.

quiens: Nolite plures fieri Magistri, fratres mei, scientes quia maius iudicium sumitis. Refert Plutarchus, Lycurgum sapientissimū Sparthanorum legislatorem, leges suas longè saluberrimas, scripto compręhendere noluisse, sed oretenus tradidisse: eo consilio, ne studia hominū lectione satiata, ad illas leges opere exequendas torpescerent. Quantò igitur prudentius fecit legislator noster cœlestis Christus qui diuinam suam legē, nō chartæ & atramento, sed tabulis cordis carnalibus, per vocalem potissimū prædicationem committi voluerit. Præcauebat enim illud, quod Apostolus suo tempore expertus est, quod scientia inflat, charitas autem ædificat. Et sanè, donec pij maiores nostri, sancta illa, quam Apostolus commendat, simplicitate, vel (vt

Lex Christiana cur ad solam scriptutam nō alligata.

Ierem. 31. f. 2. Cor. 3. a. Hebr. 8. c.

1. Cor. 8. a.

Poloni à pietate suorū maiorū degeneres.

2. Cor. 11. a.

Hierõ. epist. ad Paulinum cap. 4. eam S. Hieronymus vocat) rusticitate prediti, in rebus fidei & ꝓpriæ salutis, ijs duntaxat, quæ à suis Pastoribus in Ecclesia audiebant, exequendis vacabant, insignia nobis, tùm pietatis, tùm rerum domi & foris optimè gestarum, exẽpla reliquerunt. Ex quo autem degener eorum ꝓgenies, ad curiosè in diuinis, in humanis autem desidiosè, (ne dicam insidiosè) agendum, cõsilia & studia sua contulit, maledixit Dominus õnibus operibus nostris: factumq́ est (proh dolor) vt in rebus quidem salutis, ad inanẽ quendam ventum, aut potius procellam fidei, in Politicis autem ad quãdam ataxiam, & penè anarchiam, omne quicquid est operæprecij deuenerit. Vos igitur charissimi, hoc exiguum temporis, quod nobis diuina largitas ad resipiscendũ conce-

concedit, ad imitanda salutifera illa maiorum nostrorum exempla potissimũm impendere satagite. Maximè autem, vt in rebus fidei, ea quæ vobis à vestris in Ecclesia Catholica Pastoribus proponuntur, firmiter & sedulò amplectamini. Cuius rei fidem facit vobis ipsa veritas, dum Apostolos suos & illis perpetuò succedentes Ecclesiæ suæ Pastores, sic alloquitur: Qui vos audit, me audit: Et qui Lucæ 10. c. vos spernit, me spernit, & eum qui misit me. Quam promissionem, tali insuper cautione vobis consignauit, per Apostolum suum inquiens: Obedite præpositis Hebr. 13. c. vestris, & subiacete illis: ipsi enim inuigilant, quasi rationem pro vobis reddituri. Fœlices vos, si vestra obedientia, strictissimam il-

lam in rebus credendis Diuino iu-
dicio reddendam rationem suble-
uabit. Sufficiet vobis de omnibus
vitæ vestræ factis, dictis, & cogita-
tis, districtum tremendi illius iu-
dicij examen. In quo nos oēs
misericordia Iesu Christi
foueat & ꝓtegat
AMEN.

SECVN-

DE QVALITA-TE ET SENSV SACRAE scripturæ: super illa verba Mathæi XXV.

Domine, Domine aperi nobis &c.

RESTAT NOBIS, CHARIS-simi, altera argumēti à nobis hoc mane ꝓpositi pars explicanda: nimirum scripturam sacram, quæ est altera Diuini verbi pars, nō sufficere esse cognitam, sicut ibi declaratum est: sed etiā illius veritatē in sensu puro esse repositā. Ad quod præsenti Concione, Deo iuuante, pertractandum, accommodè nobis occurrunt verba hodierni festi sanctæ Catherinæ, pro themate proposita: Domine, Domine aperi nobis. Illæ enim fatuæ virgines, quarum hæc sunt verba, satis aptè scriptura secundum literam vtebantur:

Hæretici scripturam prauè allegātes fatuis virginibus similes.

Quan-

Quandoquidem Christus se non solùm Dominum, & magistrũ appellare iussit: verùm etiam promisit, se pulsantibus ianuam aperturum esse. Sed quoniam hæc verba erant malo sensu ꝓlata, videlicet, quando iam post hominis obitum, clausa est omnis meriti humani ianua: Ideo optimè illis à Chr̃o responsum est: Amẽ dico vobis, nescio vos. Ita etiam moderni nouatores, quid magis personant, quàm Domine, domine, & alia scripturę verba? Quia tamẽ peruerso sensu illa accipiunt, meritò audiunt: Nescio vos: quia secundum Apostolũ verè apparent semper discentes, nunꝗ autẽ ad veritatis scientiã peruenientes. Quandoquidem igitur more Pharisæorum abierunt, hoc est ab Ecclesia discesserunt, vt nos malo scripturarum sensu caperent in

Ioan. 13. b.
Lucæ 11. b.

2. Timot. 3. b

Math. 22. b.

in sermone: nos, Deo volente, accipiemus hîc regulam veram scripturæ sacræ intelligendæ: aduersariorũ autẽ falsam, simul cum eorũ argumẽtis cõfutabimus. Principiò igitur, scripturam sacrã esse intellectu difficilem, probatione non indiget, quandoquidẽ aduersarij tãtopere de illius sensu nobiscũ, & inuicem digladiantes, hoc cõꝓbant. Duo tantum ad rem nostram magis facientia argumenta proferam. Primum ẽ illud: vbi S. Petrus asserit, Epistolas Beati Pauli continere quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles (quales sunt Hæretici) deprauant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem. Alterum est, quod Origenes pulcherrimè scriptũ reliquit: Sicut in nouissimis diebus, verbũ Dei ex Mariæ carne vestitũ ꝓces-

Concionis Propositio & Partitio.

Scriptura cur difficilis.

2. Petr. 3. d.

Origen. homel. 1. super Leuiticum.

procesſit in hunc mundum: & aliud quidem erat, quod videbatur in eo, aliud quod intelligebatur. Carnis namq; aſpectus in eo patebat omnibus: paucis verò & electis dabatur diuinitatis agnitio. Ita & cùm per Prophætas vel legiſlatorem, verbum Dei profertur ad homines, non abſq; competentibus profertũ indumentis. Nam ſicut ibi carnis, ita hîc literæ velamine tegitur: vt litera quidem aſpiciatur tanq; caro: latens verò intrinſecus ſpiritualis ſenſus, tanq; diuinitus ſentiatur. Et alibi hoc paulò magis explicat, inquiens: Sicut Chriſtus celatus venit in corpore, vt in carnalibus quidem ſpeciem corporis eius aſpicientibus, & non virtutes conſiderantibus, homo videretur: à ſpiritualibus autem, non ſpeciem corporis attendentibus, ſed opera virtutum eius

Idem Tractatu 26. ſuper Math.

eius conſiderantibus, Deus intelligatur: ſic eſt omnis ſcriptura diuina incorporata, maximè autẽ veteris teſtamenti. Spiritalis enim & prophæticus ſenſus ſcripturæ, celatus eſt in hiſtoria rei propoſitę: vt omnis ſcriptura, à mediocribus quidem ſecundum hiſtoriam intelligatur: à ſpiritalibus autẽ & perfectis, ſecundum myſterium ſpirituale. Hactenus Origenes. Eadẽ ferè verba habet Beatus Cyrillus in ſuperiorem locum. Ex quibus verbis clarum eſt, quòd ſicut Chriſti diuinitatem, ad hoc, vt ab homine ſenſitiuo & animali cognoſceretur, oportebat carne humana eſſe velatam: ita doctrinam cœleſtem, omnem captum intellectus creati longè excedentem, oportuiſſe recondi & velari verbis & ſermone, qui primo obtutu humanum quiddam

Cyril. ſuper Leuit. 1.

Senſus ſpiritualis ſcripturæ neceſsitas.

dam, ac externum sensibus obijce-
ret, quiddam tamen diuinum ac re-
conditum menti percipiendum p-
poneret. Tale etiam est illud, quod
Origen. homel. 14. sup. Ezech. Gregor. hom. 9. Hierō. ibid. Ezech. 2. d.
iuxta expositionem S. Patrum,
scriptura designata est, per illum li-
brum Ezechieli Prophætæ cœlitus
porrectum, qui dicitur fuisse scri-
ptus intus & foris. Per quod non
obscurè designatur, scripturam,
præter hoc, quod foris in sensu li-
teræ externo præsefert, habere eti-
am intus sub cortice literæ, nucleū
quendam abditum diuinorum my-
steriorum: ad quæ verè & ppriè
enucleanda, Spiritus S. diuinorū
mysteriorum, Doctoribus Eccle-
siæ ad finem mundi datur. Quoni-
am verò in mentionem libri illius
mystici incidimus: capiamus et nos
huius rei viuam propter rudiores
similitudinem, exēplo Christi ho-
die

die dicentis: Ostendite mihi num-
misma census: Ita nobis proferat
Math. 22. b
codex Bibliorum, pulcherrimè fo-
ris complicatus, & cum auro ador-
natus. Conueniant ad eum librum
diuersæ personæ, videlicet, rusticus
Grammaticus, & Theologus. Ru-
sticus quidem laudabit librum, p-
pter illum exteriorem apparatum,
oculos delectantem, & laudans mi-
rabitur. Sed (vt Diuus Augustinus
Aug. hom. 44. de verbis Domini
hæc tractans loquitur) oculis ē lau-
dator, mente non cognitor. Grā-
maticus opus externum quidē cō-
probās, interiora libro aperto exa-
minabit, & lectis sententijs modo
Grammaticali iustè connexis, tùm
demum sibi satisfacit. Postremò
Theologus his nequaquam contentus,
& vilia hæc reputans, sensus abdi-
tiores scripturæ rimabitur, ex qui
bus demum cum suo commodo ac

 volu-

voluptate opus illud cõprobabit. Ita profecto, multi nunc tractant Biblia sacra & (vt postea ostendam ex S. Hieronymo) nulla ars vilissima à quoque audacius, quàm scripturæ expositio, licet difficillima præsumitur: Sed diuersi diuersos fructus exinde reportant. Quidam enim, qui doctrina prorsus destituti, ad lectionẽ sacræ scripturæ, contra sententiam D. Augustini accedunt, mirẽ in scriptura rusticantur, dum omnia animali, ne dicam bestiali, sensu carpentes, sic ex lectione scripturæ proficiunt, sicut S. Iudas de talibus agens inquit: Hi autem quæcunque quidẽ ignorant blasphemant: quæcunque autem naturaliter, tanquam muta animalia norũt, in his corrumpuntur. Rudiores enim, vel carnales Hæretici, quia ignorant mysteriũ sanctissimæ Trinita-

Lectionis sacræ scripturæ fructus diuersi.

Aug. lib. 2. de Ordine cap. 16.

Iudæ 1. c.

nitatis, Eucharisticæ transubstãciationis, Sanctorum inuocationis, & similium, idcirco hæc omnia blasphemant. In reliquis autem, quæ naturaliter tanquam bruta norũt, quale est illud: Crescite, & multiplicamini, & his similia, in his profecto interdum plusque bestialiter agunt. De talibus B. Augustinus sic scriptum reliquit: Omnia eloquia diuina salubria sunt benẽ intelligentibus: periculosa verò his, qui ea volunt ad sui cordis peruersitatem detorquere, potius quàm suum cor ad eorum rectitudinem corrigere. Alij rursus tractantes scripturam, potissimùm apud hæreticos, sunt Grammatici, Rhetores, & humaniori studio eruditi. Tales quidem scioli, eruditionẽ suam vanam ostẽtantes, & nihil prorsus sanctis Patribus antiquis, ad quos à scriptura

Genes. 9. a

Aug. in psalmum 48.

Humana sapientes quãtum ex scriptura sacra proficiunt.

Deut. 32. a remittunt, & quorũ doctrinã orbis
Prouer. 22. d hucusq; mirať, tribuẽtes, mirè & va
Ecclesi. 29. a Math. 13. g. riè secundũ ꝓpria capita sensus scri
Rom. 16. c. pturę detorquẽt, & fucis verborũ
exornant, vt simpliciores sermone
capere possint. De talibus Aposto
1. Timot. 1. b lus inquit: Finis præcepti est charitas, de corde puro, consciẽtia bona, & fide nõ ficta (non qualis nũc est hæreticorum) à quibus quidam aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis Doctores, non intelligentes, neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant.
1. Timot. 6. a Et alibi: Si quis aliter docet, & nõ acquiescit sanis (hoc est benè intellectis) sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundũ pietatem est doctrinæ, superbus ẽ, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mẽte corruptorum, & qui veritate priuati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. Expende singula, videbis ꝙ ad amussim hæreticis nostri temporis respondeant. Tertium genus scripturam sacram tractantiũ est, sacra Theologia in Ecclesia Catholica eruditorum. Qui cùm ad munus hoc legitimè vocati, doctrina sufficienti instructi, & gratia Spiritus sancti ad hoc cõfirmati sint, & sensum vniuersalis Ecclesiæ sequantur, nullo modo errare possunt, quamdiu hæc seruant.

Sacræ scripturę expositores, quales esse debent.

1. Cor. 12. d Ephes. 4. b De talibus ait Apostolus: Quosdã inquit, dedit Apostolos, quosdam autem Prophætas, alios autẽ Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificatio-

ficationem corporis Christi. Si igitur legimus, artifices illos tabernaculi veteris Testamenti, ad illud ædificandum & exornandum, singulari sapientia diuinitus repletos fuisse, quantò magis hoc Apostolus asseuerat factum esse, ad corporis Christi mystici, quod est Ecclesia, ædificationem? Respondent hîc hæretici, se etiam sanctis Patribus credere, quatenus non errant, & cum scriptura cōcordant. Sed quæ hęc stultitia est? Si enim tibi videntur in aliquo errare, mihi in eodem videbuntur rectè sentire: & sic nunquam nobis in veritate satisfacient. Ad quid ergo à Spiritu sancto sūt edocti, vt in aliquibus doceant, in reliquis fallant? Deinde quæ ratio est, illis eatenus sese credere, quatenus cum scriptura conueniunt? Quasi vero isti, non potius in eo priua-

Exodi 31. & 35. d.
3. Regū 7.
Coloss. 1.

Sanctis Patribus quātum tribuāt Hæretici.

priuatam opinionē, ad quam scripturas detorquere solent, quàm Patrum autoritatem sequantur: & non tantundem tribuant Thalmud Iudaico, & Alcoramo Turcico, & fabellis Aesopicis, in quibus etiam ea vt vera recipiunt, quæ à scriptura, multa moralia tractante, nō discrepant. Sequitur ergo, scripturam non in externa intelligentia, sed in interno Dei Ecclesiæ sensu consistere. Quod S. Hieronymus disertis verbis docet: Nō putemus inquit, in verbis scripturarum esse Euangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum folijs, sed in radice rationis. In eandem sententiam Origenes & Cyrillus, literam sacræ scripturæ comparant corpori, sensum autem animæ, quæ in corpore quasi delitescens, illud vegetat & gubernat

Sacræ scripturæ litera occidit spiritus viuificat.

Hieron: in Epist. ad Galatas.

Origen. lib. 4. Periarchō & tract. 26. in Mathęū. Cyrill. super Leuit. 6.

bernat: quod idem de sensu sub litera abscondito intelligas. Hoc insuper expressé testatur Apostolus inquiens: Litera occidit, spiritus autem viuificat. Alioqui enim Iudæi (de quibus ibi agit Apostolus) conueniũt nobiscũ in autoritate veteris testamenti: sed quia in sensu discordant, tantùm à veritate nostra, quantum cœlum à terra distãt. Ideo sanctus Augustinus appellat eos capsarios, & quasi asinos Christianorum, qui libros veteris instrumenti, magno quidem onere post nos deportent: sed non magis quàm asini fructus ex illis referant. Quin etiam dæmon ipse in tentando Christo scriptura vsus est dicens: Mitte te deorsum, scriptum est enim. Quod autem tunc faciebat cum capite, idem nunc cũ membris, hoc est veris Christi fidelibus

2. Cor. 3. b.

Augu. super Psal. 40. & 56.

Math. 4. a

Dæmon per scripturã decipit, eo ordine quo olim Euam.

libus facere non desinit. Ait enim Apostolus: Timeo, inquit, ne sicut serpens decepit astutia sua Euam ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo Iesu. Videamus ergo quo modo diabolus Euam deceperat. Primò enim temporis oportunitatem captans, ocio torpentem adortus est, & ab Adam disiunctam. Erant enim illi parentes nostri in Paradiso constituti, vt operarent & custodirent illum. Vidẽs autem dæmon Euam ociosam, & à viro seiunctam, tentationem statim aggreditur. Ita primus gradus perditionis est, relinquere vnionẽ & societatẽ Ecclesiæ Catholicæ, quam in Symbolo profitemur, & quam Apostolus tãtopere cõmẽdat dicẽs: Solliciti seruare vnitatẽ Spiritus in vinculo pacis. Vnde ꝓuenit ocium

2. Cor. 11. a.
Genes. 2. a.

Genes. 2. c.

Discessio ab vnitate Ecclesię, & ociũ, prima esca Dęmonis.

Ephes. 4. a.

spiri-

spirituale, hoc est vt aliquis negle-
cta propria vocatione, in alienam
sese temerè ingerat. Quod sicut
Eua fecit, disputationem cum Sa-
thana præter Adamum adoriẽdo:
ita nunc multi faciunt, dum relicta
vocatione propria, sine discrimine
expositionem & prædicationẽ scri-
pturæ sibi vsurpant, cõtra expres-
sam regulam Aopstoli dicentis:
1. Corin. 7. d Vnusquisq; in qua vocatione vo-
catus est, in ea permaneat. Et iterũ:
Rom. 12. a. Non plus sapere quàm oportet sa-
pere, sed sapere ad sobrietatem:
hoc est, prout status vniuscuiusque
requirit. Secunda astutia Dæmo-
nis erat, quòd non in propria for-
ma Euæ locutus est, sed in serpen-
tis, qui erat omnium animaliũ pru-
dentissimus: Ita nunc hæreses disse-
minat, & incautis loquitur, per ho-
mines, qui specie tenus apparent
pruden-

Dæmon per hæreticos decipit.

prudẽtes veritatis æmulatores: qa
vt Apostolus ait transfigurant sese 2. Cor. 11. c. Rom. 16. c
in Apostolos Christi, & per dulces
sermones seducunt corda innocen-
tium. Sicut enim Spiritus sanctus Actor. 2. b.
per Apostolos idiotas, magnalia
Dei locutus est, & mundum con-
uertit: ita spiritus ille nequam, tan-
quàm simia Dei, vt suorum fidem
magis comprobet, inspirat & sug-
gerit hominibus etiam idiotis, mi-
ram scripturarum congeriem, &
sermonis suauitatẽ. Quod expressẽ Origẽ. hõ. 3. super Exod.
testantur inter alios S. Patres, Ori- Hieron. lib. contra Luciferianos.
genes, Hieronymus, & Chrysosto-
mus, Hæreticos quando in scriptu- Chrysosto. hom. quadã contra hereticos.
ris audiuntur mirabiles, non ex sei-
psis, sed ex dæmonis suggestione
loqui. Tertia astutia Sathanæ erat,
quòd sicut olim contra Euam, præ-
ceptum Diuinum, de non edendo
vetito fructu, ita postea cõtra Chri-
stum Psalm. 90. c.

Dæmon & heretici trũcatim allegant scripturam.

stum scripturam, carptim & succisè producebat. Tantùm enim ea verba protulit: Angelis suis mandauit de te &c. reliqua verò subticuit, quæ cõtra se erant: cùm totus ille Psalmus agat de præsidio Diuino, contra tentationes & insultus dæmonis. Et statim post verba citata sequitur: super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonẽ & draconem: per quæ omnia dæmon designatur. Ita etiam nunc agit nobiscum per hæreticos, qui quoties aliquid pro se falsò probant, scriptura vel sanctorum Patrum autoritate, verba tantùm aliqua ad fallendum apta excipiunt, sensum ex antecedentibus & sequẽtibus verbis, & intentione autoris, omittentes, vel obscuritate inuoluentes. Sed hac ratione ego probarem expressa scriptura, non esse Deum:

Deũ non esse, probatur

Deum: quia hæc verba, non considerata orationis serie, sæpè sæpius in scriptura reperiũtur. Quoad sensum autem rectum orationis, expresse habemus Psalmo 13. & 52. non est Deus: sed ante hæc verba præcedit: Dixit insipiẽs in corde suo: sequuntur autem hæc: Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt. Quoties igitur Hæretici cõtra nos, perperam aliquam scripturam proferunt, possumus alteram ex his sententiam addere. Vt exẽpli gratia: Caluinistæ dicunt: Hoc est, id est significat, corpus meum: Huic tu adde: Hæc dixit insipiens quia antehac Christus optimè sese explicuit dicens: Caro mea verè est cibus: &, qui manducat me viuet propter me. Deinde sequitur: quod pro vobis tradetur: Et

scriptura perperã citata.

Hęretici praue allegãtes scripturas, quõodo corrigendi.

Ioan. 6. f.

Lucę 22. b.

1. Cor. 11. c

Et sic ꝑ te insipiens Caluine, tradita & passa est figura Christi, non verus Christus: & hac ratione cõueniet tibi cum Saracenis, qui fatẽtur Christum fuisse maximum Prophetam promissum, & Dei filium, sed nequaquã talia passum, ad dexteram patris sese Iudæis subtraxisse Iudam autem loco eius crucifixum fuisse. Lutherani rursus aliter inuertunt illa Christi verba. Aiunt enim, esse quidẽ ibi verum corpus Christi, sed panem manere: in pane autem, vel sub pane, vel cũ pane (dixissent etiam nobiscum: vel sine pane) sumi corpus Christi. Ecce paruulos fluctuantes, qui in tam claris verbis Christi, adeò turpiter vacillant. Quibus tu etiam adde: dixit insipiens: Quæ enim (Deum immortalem) amentia est, Christũ sine vlla autoritate scripturæ vel Eccle-

Hęretici quã abutũtur scriptura in verbis Eucharistiæ.

Ephes. 4. c.

siæ, tam stultè impanere, cũpanare, & subpanare? Nõne Christus æterna sapiẽtia, in re adeò graui, tales sensus, si veri essent, explicuisset? Audiant Apostolum: Panis, inquit, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Vbi luculenter ostendit, illud quod frangitur, & sub alios sensus cadit, esse accidentia: ipsam autem veram esse corporis Christi substãtiam, quæ fidelibus communicatur. Quomodo enim duæ substantiæ simul ibidem continerentur? Deinde, non minus insipientes apparẽt, cùm somniant, in vsu tantùm esse corpus Christi, extra vsum verò panem simplicẽ. O dementiam plusquàm bestialem. Quomodo ergo verum est, quando consecrando, vel potius execrando, (cùm ad id potestatem non habeant) dicunt: Hoc

1. Cor. 10. d.

Corp. Christi in vsu tãtũ esse quàm stultè asseratur.

Hoc est corpus meum? Alioqui enim diceret, hoc erit corpus meum, quando erit in vsu. Quae autem temeritas & audacia est, virtutẽ verbi Diuini suo arbitrio subijcere, vt quãdo illi velint, hoc quod verbo Dei est factum, esse desinat. Contra tales D. Cyrillus iam olim sic inuectus est: Audio, inquit, ꝙ dicunt, mysticam benedictionem (sic Eucharistiam antiqui Patres vocant) si ex ea remanserint in sequentem diem reliquiae, inutilem esse. Sed insaniunt haec dicentes: Non enim mutabitur Sacrosanctũ corpus Christi: sed benedictionis virtus & viuifica gratia, perpetua manet in illo. Haec in Speculatiuis. In practicis autem sit hoc vnũ exemplum. Vota castitatis (inquiunt illi) Deo praestita, non sunt seruanda: quia scriptum est: Melius est

Cyril. ĩ Epistola ad Calosyrium.

Vota castitatis quo spiritu ĩpugnent Haeretici.

1. Cor. 7. b.

est nubere quàm vri. Et, propter vitandam fornicationẽ, vnusquisque suam vxorem habeat. Hîc tu adde illud: Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt. Talis enim sensus est hominum bestialium: quales ex S. Iuda antehac depinxi: & de quibus S. Petrus sic loquitur: Hi verò velut irrationabilia peccora, naturaliter in captionem & perniciem, his quae ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt: Ideo tu dicas cum Christo: Rursus scriptum est, ô sathana, & ibidem docet Paulus: Bonum est homini mulierem non tangere. Qui iungit filiam matrimonio, benè facit, qui autem non iungit melius facit. Qui enim alligatus ẽ vxori, quaerit quae vxoris sunt, nõ quae Domini. Ego autem volo vos sine sollicitudine esse. Et pauò ãte: Solutus

Psalm. 52 a.

2. Petr. 2. c.

Math. 4 a.

1. Cor. 7 a.

lutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Illi autem tanquam præcursores Antichristi, etiam Monachos & Monachas ad matrimoniū cōgunt, cōtra tam expressam doctrinam, & primitiuæ Ecclesiæ cōsuetudinē. Paulus enim de viduis post votum nuptis, sic ait ad Timothæum: Adolescentiores viduas deuita: Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo (hoc est ex eleemosina Ecclesiæ) nubere volunt, damnationem habentes, quia primam fidē (hoc est castitatis Christo datam) irritam fecerūt. Quantò ergo magis damnabuntur, qui contrariam talibus votis doctrinam, pro Christi Euangelio venditant? Hæc gratia exempli retuli, vt eorum fucos sciatis detegere. Ex his ergo quæ dicta sunt apparet, Iudæos, dæmonem, & hæreticos scriptura niti, ac impe-

1. Ioan. 4 a.

1. Tim. 5. b

Scriptura ad fallendū hæreticis propria.

imperitos fallere. Oēs enim sectæ quarum vix est numerus, pro se citant scripturas. Arrius namque, ad suum dogma nefandissimum contra diuinitatem Christi, proferebat quadraginta expressa (vt putabat) scripturæ loca. Idē fecerunt & alij Hæretici. Adeo vt Tertullianus, non scripturis sed traditionibus, hæreticos efficacissimè expugnari cēsuerit: cùm necessitas hæresum ab Apostolo prędicta, ex scripturæ sacræ supra prophanam fœcunditate illis proueniat. Quam etiam Lutherus propterea librum hęreticorum esse non diffitetur. Inde est, quòd oportet omninò habere, aliquam certam regulam exponendæ scripturæ, à qua ne latum vnguem abscedatur. Quod hęretici etiam concedunt: sed aiunt talem regulam esse ipsam scripturam, quę sese

Tertul. lib. de prescripti one heretico rū parte 15.

1. Cor. 11. f.

Lutherus in Postilla Maiori Concio ne 2. de pseu doprophætis.

inuicem explicat. Sed hoc est petitio principij (vt loquuntur Logici) quia nobis de hoc controuersia est: Siquidem scriptura sit muta, & iudice aliquo indigeat, qui eam exponat. Hîc illi rursus inferũt, conscientiam vniuscuiusque bonam, esse in hoc iudicem. Sed quid si conscientia erit cauteriata, secundum Apostolum, qualis plerunque in illis inuenitur? Certè talis regula, erit illa regula Lesbia. Tradũt enim scriptores, in Lesbo insula esse quædã saxa, satis solida, polita, & ędificationi apta, nisi quòd à natura habeant venas quasdam obliquas & tortuosas, ita vt ad rectam regulam sine nocumento scindi non possint. Ideo industria artificum excogitatę sunt Regulæ obliquæ, quæ ductum illarum venarum directè sequentes, lapides ęqualiter dissecant

Regula Lesbia Hæreticorum.

1. Tim. 4. a.

& ædificijs accommodant. Ita hæretici, eatenus Regulam exponendę scripturę admittunt, quatenus carnalia eorum desideria ferunt. Quod pulcherrimè olim prędixit Apostolus, Timothęum sic pręmonens: Erit tempus, cùm sanam doctrinam nõ sustinebunt, sed ad sua desideria, coaceruabunt sibi Magistros prurientes auribus. Quod hodie verissimè cõpletum esse cernimus. Hęretici enim, nolentes ferre iugum suaue Christi in Catholica religione, vt subessent disciplinę Ecclesiasticę, per confessionem, alienorum restitutionem, carnis propriæ mortificationem, & alia his similia, coacerũant sibi Magistros, secundum propria desideria, verè secũdum illam Regulam Lesbiam: Nam apud illos, quot cupiditates, tot de fide opiniones recipiuntur:

2. Tim. 4. a.

De aceruo Cracouiensi prophætauit s. Paulus.

Math. 11. d

& tales vnusquisque ministros religionis sibi comparat, quales maximè genio suo arrideant. Notanda est autem energia verbi (coaceruabunt) Cùm enim de puro verbo Dei agamus, gerēdus est mos aduersarijs, vt quàm ꝓprijssimè hoc verbum exponamus. Adeste igitur quotquot estis Grammatici, & causam in ꝓprio foro dijudicate. Coaceruare ab aceruo deductum, omnes vtique attestabimini: adeo vt coaceruare nihil aliud sit, quàm in aceruum congregare. Vos interim Christiani auditores, reuocate vobis in memoriam, primariam istorum Synagogam Cracouiensem, aceruum denominatam hucusque persistere. Apostolus itaque coaceruationē Magistrorum Spiritu sancto prædicens, quid quæso magis propriè, quàm hodiernam ministrorū

strorum seriē, ex aceruo illo pestifero in dies prodeuntem denotauit? Vos igitur præcauti, aceruum defugite, in quo adulterinum zizania ad comburendum asseruatur: horreum autem Ecclesiæ Catholicæ amplectimini, in quod dominus verum triticum suum, æternis donis pręmiandum perpetuò cōgregat. Sed quorsum rursus Apostolus, pruritus aurium Metaphoram subtexuit, nisi vt in audiendo Dei verbo, aurium tantum voluptatem quæ Hęreticis propria est, perstringeret? De illis enim Apostolus inquit: Semper discentes, nunquam tamen ad scientiam veritatis peruenientes. Sicut enim in sermone per scripturam incautos capientes Pharisæis sunt similes: ita et in eo, quòd cum verbo Dei & lege diuina, sese passim per loca publica vēditant,

Math. 13. d.

Hęretici auditores non factores verbi.

2. Tim. 3. b.

Math. 22. b.

Math. 23 a.

Rom. 2. c
1. Cor. 4. d.
Iacobi 1. d.
2. Petr. 1. d.
1. Ioan. 2. a

Exodi 32.

Hæresis Lutheranæ origo & similitudo.

ditant, & sanctitatis laudem venantes, quasi Philacteria vestimentorũ asiduitate cõcionum dilatant. Est enim et verè apparet in eis illud hominum genus, quod pridẽ ab Apostolis sæpius damnatum est, quòd nimirum auditores, non autem factores legis esse contendunt. Cuius rei aptissima & pulcherrima extat figura in Exodo: Moram enim faciente Mose in afferẽda lege de manu Diuina, populus Israheliticus idololatriæ apud Aegiptios asuetus coëgit Aarõ, vt sibi fabricaret Deos, qui se in suscepto itinere præcederent. Aarõ itaq; collectis in vnũ â populo quotquot haberentur aureis inauribus, illas in ignẽ proiecit, vnde prosiliit vitulus arte dęmonis cõflatus, qui postmodum â populo epulis & Bacho expleto, adoratus est. Mihi ꝑfecto iste vitulus cõflatilis,

tilis, ad viuum repræsentat fanaticam Lutheri doctrinam. Illa siquidem, nullo Diuino Spiritu, nulla arte, nullo labore, sed ociosa quadam dæmonis suggestione enata, homines prius epulis & illecebris delibutos, in hanc quam nunc cernimus idololatriæ, & atheismi arenam prouocauit. Quod & ipse Lutherus gloriando fatetur, quòd aliquot salis modios, cum dæmone perfamiliariter conuersatus cõsumpsisset: quòd ex illo argumenta contra Sacrificium Missæ potissimũm didicisset. In quodam autem alio loco, ad hunc tantum erroris sui magistrum, addidit CAtherinam suam, & Philippum, in quibus se plus, quàm in CHristo ipso præsidij collocare, impudenter asseruit. Tota autem illius doctrina, in asserenda sola fide præter

Lutherus de missa angulari, et de missa priuata. Et Tomo 3. in colloquijs mensæ titulo de prophetis & Patriarchis. Item titulo de operibus Dei: & titulo de CHristo & de sola fide.

Inanis fiducia Luthera.

nos demen-
tauit.

præter opera ad saluandū ferè con-
sistit: nimirum vt saturatis per au-
ditum fidei auribus, nihil cum dia-
bolo suo magistro, de animæ satu-
ritate per charitatis opera, curæ re-
linqueret. Obserua autē quomodo
solæ inaures vitulum illum cōflan-
tes, soli fidei in doctrina illius præ-
dicatæ conueniunt. Clarum enim
est, in lege illa veteri, inaures tan-
quam aurium ornamentum, fidei
respondere, quæ teste Apostolo au-
ditu perficit: rursus armillas tanquam
ornamenta brachiorum, responde
re operibus charitatis, quæ sunt
quasi emeriti certaminis argumen-
ta. Hinc est, quòd quando in scri-
ptura solarum inaurium fit mētio,
plerumque illud in malam partē su-
matur: quòd nimirum, teste S. Ia-
cobo, fides sine operibus mortua ē
& diabolica. Sic legimus in libro
Iudi-

Inaures & armillę quomodo fidem & charitatē denotant.

Rom. 10. d.

Iacob. 2. d.

Iudicum, Gedeonem Israelitarum
ducem, in triumphum victoriæ di-
uinitus de Madianitis partæ, omnes
inaures hostium spoliatorum com-
portasse, ex quib9 fabricauit Ephod
aureum, quod postmodū erat po-
pulo Israhelitico idololatrādi occa-
sio: quod factum cessit domui Ge-
deon in ruinam. Apposité autem
ibidem refertur, Madianitas inauri-
bus vti solitos fuisse. Ille enim po-
pulus, qui ex semine quidē Abra-
hæ, sed ex ancilla propagatus fuis-
set, optimè designat hæreticos: qui
per Christum quidem Patrem no-
strum in Baptismo regenerati sunt,
sed matrem seruilem, hoc est pec-
cati conditionem secuti, inauribus
duntaxat mortuæ fidei, cum perni-
cie sui delectantur. Aliud exem-
plum est, cuius supra meminimus,
ex solis inauribus fuisse conflatum
vitu-

Iudic. 8. f.

Hęretici Madianitarū degener proge nies.

Genes. 25. a
Galat. 4. c.

Exod. 32. a.

vitulum illum, per quem Israel idolatriam commisit. Quoties autē inauribus armillæ in scriptura iunguntur, semper ferè in bonam partem sumuntur. Sic in Genesi seruus Abrahæ, donauit Rebeccæ inaures cum armillis, in signū & arrham matrimonij cum Isaac, per quod benedictio populorum subsequi debebat. Eodem modo deuotissima Iudith, Holophernem crudelem diuinitus debellatura, cum inauribus reliqua manuum, & aliorum membrorum ornamenta assumpsit. Reliqua eius generis exēpla omitto, tandem ad finē properans. Ex quibus omnibus necessaria cōsequentia conuinco & concludo, Regulam exponendæ scripturæ, quam iactant Hæretici, nequaq̄ subsistere posse, in eaq̄ mordicus asserenda, eos longissimè falli &

Gen. 24 c.

Iudith. 10 a.

Regula vera exponēdę sacrę scripturę

& fallere. Breuiter igitur assero, Regulam hanc interpretandę scripturæ, ab autoritate solius Ecclesię Catholicæ assumi debere, Dicente Beato Petro Apostolo: Hoc primùm, inquit, scitote: q̄ Prophætia (sic scripturam sacram appellat) propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophætia: sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines. Ex quibus verbis dilucidè conuincitur, scripturæ sacræ interpretationem, nō priuatæ opinioni (vt faciunt Hæretici) conuenire, sed eiusmodi hominibus, quib9 ad hoc adsit Spiritus sanctus, tanq̄ ꝓprius scripturæ autor. Tales autem nō sunt alij, nisi Ecclesiæ Prælati, qui iuxta verba Apostoli, sunt [a] ministi Christi: [b] pro ipso legatione fungētes: quos

2. Petr. 1 d.

Ecclesię Prælatis conuenit exponere scripturā & quo ordine.

a. 1. Cor. 4 a.
b. 2. Cor. 5 d.

c. Acto. 20. f. c quos Spiritus sanctus posuit ad officium regendi Ecclesiam Dei,
d. Luc. 8. b. d & quibus à Domino dictum est: Vobis datum est nosse mysteria regni Dei, cæteris autem in parabolis.
e. Mala. 2. b. Ezech. 44. b e Labia enim Sacerdotis (inquit Dominus per Malachiam) custodiunt scientiam, & legẽ ex ore eius requirunt: Angelus enim Domini exercituum est. Porrò in Ecclesia, sunt diuersi & subordinati Prælatorum gradus, vt dicit B. Paulus:
1. Cor. 12. d. Ephes. 4. b. quibus omnibus interpretatio scripturæ competit, sed diuersa ratione.
Apta similitudo Hierarchicæ potestatis in Ecclesia. Cuius rei sit hoc per accõmodũ exẽplum. In hoc regno habemus legum nostrarum Statutum, quo vniuersum corpus Reipub. gubernatur. Quod licet in se clarum sit, euenit tamen non raró, vt vna eademq; lex, cupiditate hominum perperam intellecta, pro vtraq; licet

cet

cet sibi aduersa, parte trahatur. Ad quas litium quasi quasdam hęreses amputandas, pręsidet primò Rex, qui tanq; caput Reipub. legis interpretandæ, sicut & condendæ, potissimas partes obtinet. Sed ne in minutioribus stulto (vt quondam Moyses) labore consumatur, habet subordinata officia, municipalia, Ciuilia, Castrensia, Terrestria, & alia his similia, ad quæ causę minutiores, secundum proprij fori rationem, pro legis interpretatione, & causarum decisione deuoluunt. Exod. 18. c
Si verò videtur esse difficilis, & obscura legis ratio, à minoribus officijs, ad maiora subinde conscendit, donec in grauissimis, res ad ipsius Regis cognitionem deueniat. Si verò tale aliquid proponatur, quod omnes Reipub. status attingat, Rex in Comitijs Senatum, &

alios

alios Regni ordines, ad tale negocium consultius decidendum adhibere solet. Similis ferè in scripturæ expositione seruatur ratio. Cùm enim Deus, Spũ sancto per homines loquente, sit verus scripturæ autor, vt supra ostensum ẽ: proculdubiò, nemini eius interpretatio conuenit, quàm cui diuinitus est commissa. Talis autem est vniuersalis Ecclesiæ Catholicæ Pastor.

Pontifex Romanus primas partes exponendæ scripturę obtinet.

Sic enim Dominus pręcipit per Moysen: Vt si quid in lege Diuina ambiguum agitaretur, recursus haberetur, ad iudicem, qui tunc temporis constitutus esset, ex Sacerdotibus Leuitici generis, in loco quẽ ad hoc elegit Dominus. Et quidquid ab eo decerneretur, hoc firmiter esse tenẽdum, non declinando ad dextram vel sinistram: sub mortis etiam interminatione. Si

Deut. 17. b.

igitur

igitur Deus Synagogam, tanq̃ Ecclesiæ vmbram tanto decorauit priuilegio: quomodo hoc non magis præstitisset Ecclesiæ, tanq̃ sponsæ dilectissimæ, pro qua vitam etiam exponere non dubitauit? præsertim cùm Apostolus asseueret, omnia quæ in lege olim fiebant, in figuram in noua lege explẽdam cõtigisse. Hoc igitur prælationis supremæ genus, S. Petro & eius successoribus in Ecclesia Catholica creditum fuisse cõstat. Huic enim singulariter promissæ sunt claues regni cœlorum, & summa illarum potestas. Huic demum reipsa traditæ sunt, quando ei ter dictum est à Domino: Simon Ioannis, diligis me plus his, hoc est alijs Apostolis? pasce oues meas: pasce agnos meos, pasce oues meas: hoc est nõ solùm pastores & perfectos, chari-

Ephes. 5 f.

1. Cor. 10 b.

Math. 16 c.

Ioan. 21 c.

tate

tate iam fœcundos: sed etiam his intersertos, proficiētes, & neophytos, quasi agnos adhuc nouellos. Hanc summam potestatem ille sæpius in Actis Apostolorum exercuisse memoratur: præcipuè autē quando in Concilio illo Apostolico, tacēte reliqua multitudine, primus locutus, decretum in grauissima de legalibus quæstione tulit: S. Iacobus autē veluti loci illius Episcopus, à Petro latum scriptura cōprobauit, & promulgauit. Inde est quòd non minus S. Petrus, acceperit à Domino potestatem declarandæ legis, quàm olim summus Synagogæ sacerdos. Ideoq; voluisse etiam Deum prouidere, vt esset certus locus talis Pastoratus, sedes nimirum Romana: certum etiam sacerdotum genus, hoc est ex superioribus Ecclesiæ Catholicæ Prælatis,

Actor. 15 b.

Primatus Romani Pontificis, & summa in Ecclesia potestas.

tis, ex quibus talis iudex deligeretur: certa etiam huius officij successio, vt nimirum vno mortuo, alter in locum eius vniformiter ac perpetuò substitueretur. Quod profectò in priuilegio S. Petri, negare absurdissimum esset. Cùm enim ei mandatur: Pasce oues meas: oues autē Christi, nunq; ad finem mundi deficiant, necessarium ē, vt etiam Pastor in loco Petri, illi æqualis non deficiat. Si etiam sub pœna mortis Sacerdoti legali erat obtemperandum, multò id magis Pastori sponsæ Christi conueniet. Quod S. Petrus satis comprobauit, quando ob leuem humano iudicio fraudem, Ananiam cum Zaphira vxore sua subitanea morte percussit. Sūmus itaq; Pontifex in Ecclesia Dei est, qui Spu sancto assistente edoctus, summam habet legis Diuinæ expo-

Ioan. 20 c.

Actor. 5 a.

Pastores inferiores Ecclesiæ, etiam scripturā exponunt.

nendæ autoritatem. Habet tamen, more Regis in Politia, aliquos sub ordinatos iudices, videlicet Parochos, Archipresbyteros, Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, & alios huiusmodi, quibus faciliores causas legis Diuinæ, decernendas comittit: ita vt subinde ab inferiori ad superiorem deferatur appellatio, & plenior discusio, donec tandem ad summum Ecclesiæ Pastorem deuoluatur: qui propter singularem Sancti spiritus asistentiam, sic decipi, vt decipiat, nō potest: nimirum cui in persona S. Petri dictum sit à Christo: Ego oraui pro te, ne deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus (hoc est, cùm negatione mei emendatus, pastorale officium antea promissum susceperis) confirma fratres tuos. Vnde habemus; quòdsi forte alij inferio-

Papa sic errare vt decipiat nō potest.

Lucæ 22 d.

feriores Prælati in decernēdo errarent, hoc à summo Pontifice corrigi posit, vt in pluribus Concilijs particularibus sæpius euenisse constat. Nihilominus tamen Pontifex in rebus grauioribus vniuersalem Ecclesiam concernētibus, solet cōgregare vniuersalia Concilia (sicut Rex Comitia) in quibus ex omnibus mundi partibus plenius informatus, commodiius etiam difficiliora Ecclesiæ negotia cum Concilio decidat. Deniq;, sicut Papa est in loco Diui Petri, qui iussu Domini, [h] ducit rete in altum ad capturam piscium: hoc est arcana legis mysteria, ex magisterio Spiritus sancti decidit: ita sancti Doctores sunt, qui ad capturam eiusmodi, [i] resarciūt retia, hoc est scripturam sacram, quam pasim lacerant Hæretici, à falsitatis iniuria vindicant,

Conciliorū generalium vsus & autoritas.

Doctorū sacrorū in Ecclesia officiū.

h. Luc. 5 a.

i. Math. 4 c.

& sic demum, ad extrahendam piscium multitudinem, summo Pastori cooperantur. Hæc est vera & germana exponendæ scripturæ Regula. Quam olim Epiphanius his expresſit verbis: Termini nobis positi sunt, & fundamenta, & ædificatio fidei, & Apostolorũ traditiones, & scripturæ sanctę, & successiones doctrinæ: & vndequaq; veritas Dei munita est. Nemo igitur decipiat nouis fabulis. Hactenus Epiphanius. Hanc regulam semper hucusq; seruauit, & seruat sancta Eccesia Catholica Romana, propterea q; nũq; in rebus fidei errauit, nec errare potest. Cùm enim teneat eam scripturæ expositionẽ, quæ Spiritu sancto id operante, ex determinatione legitimorum Cõciliorum, Decretis summorũ Pontificũ, & ex consensu orthodoxorum

Epiph. hęres. 55, contra Melchisedechianos.

Ecclesia Catholica cur ĩ exponenda scriptura nõ errat.

rum Ecclesię Doctorum, quotquot hucusq; fuerunt, dependet, optime seruat Catholicę Ecclesię vnitatis & autoritatis proprietatem, quę secundum Vincentium Lirinensem, (qui ante mille annos contra hęreses scripsit) constat his tribus, nimirum antiquitate, vniuersitate, & consensione: hoc est, quod semper, quod vbiq;, quod ab omnibus, in Ecclesia seruatum est. Rursus è cõuersò, eiusmodi ordinis perturbatio, in Ecclesia quidem hæreses cõsequenter autẽ in Politia, eam quã nunc cernimus Anarchiam nobis peperit: adeò, vt sicut olim impunè, vniuersalis Pastoris & Ecclesiastica, ita nunc, iusto Dei iudicio, superbè Regia & Politica autoritas, ad priuatos pertrahatur. Atq; ex his liquet, quanta audacia & temeritas est eorum, qui contra om-

Vincẽtius Lirinensis lib. contra prophanas hære sum nouationes.

Ataxię Ecclesiasticæ & Politicę causa.

Contra eos qui temere tractãt scripturam.

 nem

nem sensum & cõsensum Ecclesiæ Catholicæ, sacra scriptura ad suam & aliorum perniciem abutuntur. Certè Fenestella tradit, ãtiquis Romanis, libros Sibyllinos in tanta fuisse veneratione, vt eos solis Sacerdotibus, ex summo Magistratu assumptis, tractare licuerit. Refert etiam Theodoretus, apud veteres gentiles fuisse nefas, promiscuæ plebi libros sacros contingere: sed ea duntaxat, quæ præ oculis fierent considerare. Nostri autem scioli, cœlestem illam, & inexhaustam Philosophiã, Ecclesiæ Catholicæ Christi sponsæ, & sanctis Doctoribus fortissimis Chrĩ athletis, veluti clauam è manibus Herculis eripient? Restant quędam pauca aduersariorum argumenta, quæ qua leuitate ab eis proponũtur, ea facilitate à nobis diluentur. Primò obijci-

Fenestella de Magist. Rõ. lib. 1. cap. 13.

Theodor. de Græca: affectionum curatione.

Obiectiones hęreticorum contra Traditiones.

obijciunt illud Deuter. 4. Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, nec minuetis ex eo. Respondeo. Non dicit, non addẽdum esse ad scripturam, vt vos hęretici intelligitis, sed ad verbum: quod esse duplex, traditum & scriptum, ante ostendimus. Traditiones autẽ nostrę cõstãt ex verbo tradito. Alioqui si vetuisset addere ad scripturã, totum contra hoc pręceptũ additũ fuisset, quidquid in Biblijs vltra Deutoronomium, in quo hæc habẽtur verba, cõtinet. Secũdò obijciunt illud Apoc. 22. Si quis apposuerit ad hęc, apponet ei Deus plagas in hoc libro scriptas: Si qs autem diminuerit aliquid, auferet Deus partem eius de libro vitæ. Respondeo, S. Ioannẽ tunc scripsisse hęc ꝟba, 1 quando cõplures hęretici deprauabant sacram scripturã, alia

Verbo Dei quõodo non addendũ ne demendum

secunda obiectio.

1. Vide Nicephor. lib. 4.

hist. Eccles. cap. 21. Epiph. lib. 2 contra hęreses.

alia quædam addentes ad textum scripturæ, quædam verò abradentes, vt vobis hæreticis semper mos est. Catholica autem Ecclesia nunquam hoc facit: immo nisi illa fuisset, vestro hæreticorum astu, omnes scripturæ corruptæ extitissent. Deinde vtriusq; prædicti libri scribendi, Diuinum m extat præceptũ: meritò igitur additio & ademptio in illis prohibetur: in plerisq; autẽ scripturæ libris, nulla extat eiusmodi præcepti ratio. Immo idẽ S. Ioannes, in vtraq; sua posteriori Canonica Epistola, solenniter protestatur, se multa habere, quæ cum Ecclesia ageret, ea tamen sese nolle chartæ & atramento credere, sed præsenti os ad os sermoni reseruare. Tertia obiectio est, ex laudibus scripturæ, quæ fidelibus commendatur ad legẽdum, & hoc pertinere

m. Exo. 24 d Apocal. 1 c.

2. Ioan. 1 d. 3 Ioan. 1 d.

Tertia obiectio ex laudibus & vtilitate sacrę scripturæ.

tinere ad omnium salutẽ. Sic enim Paulus Timothæo scribit: Tu ab initio sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem &c. Respondeo. Hæc Apostolum, & his similia scribere ad Episcopum, cuius officium est, interpretari scripturam, vt ante ostendimus: similiter & aliorum, qui ad hoc vocati sunt, & sufficiẽtem habent doctrinam: non autem hoc idem conuenit idiotis, vel mulierculis, vt apud vos seruatur. De quo legenda est Epistola Bibliorum præliminaris S. Hieronymi ad Paulinum, vbi hoc fusè & acriter repræhẽdit. Vbi inter cætera sic inquit: Quod medicorum est, pmittit medicus: tractant fabrilia fabri: sola scripturarum ars est eiusmodi, quam sib passim omnes vendicant. Scribimus indocti doctiq; poœmata pasim: Hanc

2. Tim. 3 d.

scripturam pasim tractantes perstringũtur à S. Hieronymo.

Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hãc vniuersi prȩsumunt, lacerant, docent, antequam discant. Alij obducto supercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas, de sacris literis philosophantur: alij discũt, proh dolor, à fœminis, quod viros doceant: & ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, imo audacia, edisserunt alijs, quod ipsi non intelligunt. His verbis Diuus Hieronymus, nonne vobis pij auditores, videtur modernam in scripturis tractandis hȩreticorum lasciuiam ad viuum depinxisse?

Quarta obiectio.

Quartò obijciunt. Immo omnibus hoc dictum est, tractare scripturã. Nam Christus inquit: Scrutamini scripturas, illȩ enim sunt, quæ testimonium perhibent de me. Respõdeo tripliciter. Primò illic more dȩ-

Ioannis 5 f.

re dȩmonis, n esse quȩdam verba excerpta: quia ibi Christus addit, in quibus vos videmini vitam ȩternam habere. Quibus verbis potius reprȩhẽdit eos, qui nuda scriptura nituntur. Ita vos hodie, vt olim Iudȩi, videmini vobis in scriptura vitam ȩternam habere, sed longè fallimini. Secundò, Christũ illa dixisse ad Phariseos & Legisperitos, quos tanquam Synagogȩ doctores rectè ad scripturas remittebat, quȩ Chro Mesiȩ reddebãt testimonium. Tertiò, quia dicit, Scrutamini, hoc ẽ sensus mysticos & abditos inuestigate, quos hȩretici reijciunt, quia nunq̃ Theologiam didicerunt. S. Gregorius difficiliorẽ scripturam cõparat cibo benè masticãdo, faciliorẽ potui facilè deglutiẽdo: Hȩretici ergo offã, vel (vt Chrs loquit̃) camelũ deglutiũt, culicem

n. Math. 4 b scripturas qui & quomodo scrutari iussi.

Gregor. lib. 1. Moral.

Math. 23 c.

culicem autem percolant: dũ difficillimas scripturas ad facilem, hoc est carnalem sensum detorquent: in facilibus autem inanes verborũ pugnas excitant. Quintò obijciunt illud Math. 18. Vbi duo vel tres ex vobis sunt in nomine meo congregati, ego sum inter eos. Primò ego respondeo: Talem Ecclesiam & scripturę consensum hæreticis concedimus, qui est duorum vel trium hominum: non autem Ecclesiæ Catholicæ, quę per orbẽ patet vniuersum. Ad hunc autem locum respondit iampridem pro nobis S. Cyprianus, sic inter cętera inquiens: Quomodo possunt duo aut tres in nomine Chr̃i colligi, quos constat à Christo, & ab eius Euangelio separari? Non enim nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt. Et quum hęreses & Schi-

Quinta obiectio.

Ecclesia & congregatio hęreticorum qualis.

Cypr. lib. de simplicitate Pręlatorum.

1. Ioan. 2. c.

Schismata postmodum nata sunt, dum conuenticula sibi diuersa cõstituũt, veritatis caput atque originẽ reliquerunt. Aliam rationem affert Tertullianus: quia Chr̃us iam pridem hęreticos exhęreditauit: Maximè autem dicens Ioannis 15. Ego sum vitis vos palmites: si quis in me non manserit, non faciet fructum, sed abscindetur, & in ignem mittetur. Hęretici autem præciderunt sese ab Ecclesia, quæ est corpus Christi. Sextò obijciunt. Diuus Paulus asseuerat, etiam Angelo de cęlo descendenti, & aliud pręter quod euangelisatum est asserẽti, non esse credendum, & ꝑ anathemate id habendum: magis ergo vestræ traditiones quę humanę sunt, anathema sapiunt. Respondeo. S. Paulum eo loco, nõ loqui de scriptura, sed de Euangelio, & doctri-

Tertull. lib. de pręscriptione hęreticorum.

Sexta obiectio.

Galat. 1 a.

Hęreticorũ nouũ & homines perturbans Euãgelium execratur S. Paulus.

doctrina, quam Galatæ ante hanc scriptam Epistolam acceperant, quæ scripto non extat. Immo Apostolus in eo loco detestatur & anatematizat nouum Euangeliũ, quod homines conturbet, quale hodie noui Euangelici suscitarunt. Traditiones autẽ quibus nos nitimur, non humanas esse sed Diuinas, satis superius ꝓbatum est.

septima obiectio. 1. Petr. 2 b.

Septimò dicunt. Sanctꝰ Petrus appellat nos genus Dei electum: Regale Sacerdotium, ergo non minus licet nobis tractare scripturam quàm sacerdotibus? Respondeo, prius dicit, regale: sis igitur & tu, qui hoc allegas, primò Rex, vt sis sacerdos.

Christiani omnes quales sũt sacerdotes. Rom. 6 b.

Sed hîc Apostolus intelligit regnũ spirituale, de quo alibi dicit: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Si ergo fueris Rex & victor tuarum cupiditatũ, eris etiam spi-

Isaiæ 61 b. Apoc. 1 b. 5 c 20 b.

am spiritualis Sacerdos, offerendo spirituales hostias, hoc est mortificationes carnis ꝓpriæ, vt sæpè scriptura, & ibidem Apostolus docet.

Epilogꝰ Neopharisæos, ore eorũ cõfundens.

Concludamus ergo cum Christo. Quid nos de scriptura tentatis hypocritę? Ostẽdite nobis nũmisma census: hoc est, ostendite nobis (ô hęretici) rẽ ipsam de qua controuersia est: ꝓferte librum sacrę scripturæ. Iam quæro à vobis: Cuius ẽ superscriptio hæc? hoc est: Cùm r plurimi scripsissent Euãgelia, inter quæ, fuerit etiam Euangelium sub titulo S. Andręæ, Batholomæi Thomæ, & Thadæi, Apostolorũ, tum Nicodemi, & aliorũ: quis reiectis omnibus alijs Euangelijs sub nomine eorundem, & aliorum cõpluriũ, qui cum Chr̃o vixerũt, recepit inter hęc quatuor, Marci & Lucæ Euãgelia, qui ex alijs tantùm de his audierũt? quis tibi fidẽ facit,

r. Vide Decretum Gratiani dist. 15. capite Sancta. Euseb. lib. 3 Histor. Eccl. cap. 19. Nicephorũ lib. 2. Histori. cap. 46.

hoc

Domus Profess. Cracoviensis Soc. Jesu ad S. Barbaram

hoc & non aliud Euangelium esse huius Euangelistæ? quis inquam hæc omnia operatus est? Dicunt illi: Ecclesia Catholica. Rursus quæro: Cuius est imago hæc? Cùm de huius scripturæ expositione à varijs hæreticis hucusq; disceptaretur quis de vero illius sensu iudicans, tot sœculorum hæreses condemnauit, & de illis gloriosè triũphauit? Dicunt illi, quod negare non possunt: Ecclesia Catholica. Reddite ergo, vos neopharisæi, quæ sunt Ecclesiæ, Ecclesiæ: hoc est, seruate illi autoritatem, à Christo tanq; sponsæ suæ, aduersus omnes inferorum portas relictam, in exhibenda illi exteriori reuerentia & obedientia: Deo autẽ est quod reddatis amplius, cordis videlicet vestri holocaustũ, honorẽ, timorem, laudẽ, gratiarum actionẽ, & his similia: Qui in Trinitate perfecta, sit in secula benedictus, Amẽ.

Ephes. 5 f.

Math. 16 c.

DE COMMVNIONE SVBALTERA PANIS specie: Super Euãgelium Dominicæ Lætare.

Accepit ergo Iesus panes, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus. Ioan. 6.

QVOD SANCTA MATER Ecclesia, hodierna Dominica, ꝓponit nobis hoc Euangeliũ, quod vobis (charissimi) recitatum est: hæ inter alias causæ assignari possunt. Prima quidem est, singularis fidelium cõsolatio. Quemadmodum enim Christus Dominus, turbam illam, in loco deserto, omni humana prouidentia ad victum conquirendum destitutam, miraculosè & abũdanter saciauit: Ita etiamnum imbellem adhuc proficiẽtium in sua Ecclesia plebeculam, de

Hoc Euangelium quomodo Quadragesimæ cõgruit.

1.

2.

de proprijs viribus, ad ieiuniũ hoc
Quadragesimale fideliter exigẽdũ
addubitantem, hoc exemplo in ꝓ-
posito confirmat: vt si ipsi sibimet
in ijs, quæ pręstare possunt nõ de-
fuerint, reliquum quod vires illo-
rum superat, ipse diuino & super-
naturali suo auxilio sit suppleturus.

Eleemosina ieiuniũ commendat.

Altera causa est: Christum redem-
ptorem nostrum, tam accurata fra-
gmentorum collectione, suo exẽ-
plo nos ad studium eleemosinę in-
uitare: quam hoc potissimùm ie-
iunij tempore, ex ijs quæ ex frugali
victu nobis supersunt, affatim elar-
giri debemus. Ea siquidem [a] maxi-
mè Deo commendat nostra bona
opera, quibus hoc sacro pœniten-
tiæ tempore potissimùm inuigilare
& insudare fas est. Ex quibus pri-
mum est ieiunium hoc corporale:
quod Dominꝰ noster [b] partim do-
ctrina

a. Tob. 12. b. Lucæ 11. e. Hebr. 13 c.

b. Math. 6 c. 9 b. 4 a.

ctrina, partim etiam suo ipsius exẽ-
plo, initio huius Quadragesimæ
nos edocuit. Alterum est, Ora-
tio: cuius eggregium specimen, in
muliere illa Chananæa nobis nu-
per proposuit. Tertium deniq; est
Pœnitentia, cuius necessitatem, &
cõtra dęmonis atrocissimos insultꝰ
vim & efficaciã, [c] in muto, surdo,
cœco, & dæmoniaco, à se sanato,
pręteritæ Dominicæ Euangelio ex
pressit. Tertia causa Euangelij
istius hodie propositi, desumit ex
verbis ipsius Euangelistæ: qui pau-
lò ante refert, miraculũ hoc Chri-
sti, imminente iam Paschali solen-
nitate cõtigisse. Quibus verbis vi-
detur Ecclesia filios suos commo-
nere, vt exemplo illius turbæ, ne-
gotijs terrenis, maximè verò ijs quę
à spiritualibus abstrahunt, relictis
vel sepositis, toto studio & intẽtio-
ne,

Math. 15 c.

c. Math. 9 d. 12 b. Lucæ 11 b.

Ioannis 6 a.

Hoc Euangelium est Parasceue Paschæ.

ne, Christo per inchoatam pœnitētiam & pietatis opera adhęreant: si quidem perfectè & cum ꝑfectu spiritali volunt saciari cibo illo supersubstantiali corporis Christi: cuius primam institutionem quemadmodum in festo Paschatis Christus dedicauit: ita illius vsum, tali quoque tempore, per Ecclesiæ pręceptum à fidelibus peculiariter exigit. Etenim miraculosam illam turbæ refectionem, cibum hūc corporis & sanguinis Domini adumbrasse, ex ijs quæ sequuntur rationibus ex eodem capite Euangelij desumptis colligi potest. Prima ratio est. Quòd ex illa sustentatione turbæ, Christus accepit occasionem insignis suæ doctrinæ, de corporis & sanguinis sui Sacramento, contra duros Capharnaitas: quos paulatim instruebat, & quasi manu ducebat,

Miraculum hoc quomodo adumbrabat Eucharistiam.

bat, per miraculum simplicis panis ad assequendam per fidem, illam escam corporis sui, quam, teste Dauide, memoriam singularem mirabilium suorum fieri, & nobis commendare, voluit. Secunda ratio ē. Quòd cibus ille miraculosus, cibo corporis Christi non ineptè videť in aliquibus cōgruere. Cùm enim in sacratissima Eucharistia sumamꝰ integrum Christum, cum vero & reali eius corpore, anima, & diuinitate: quinq; panes videntur denotare eius humanitatē, quę quinq; sensibus exterioribus sese potissimùm foris exhibet. Duo itidē pisces possunt applicari eius animæ rationali, quæ duabus nobilissimis potētijs, intellectu nimirum & voluntate constat. Hoc autē vtrunq; nexu ineffabili complectens Diuinitas, videtur adumbrari per ipsam mira-

Psal. 110. a.

Quinq; panes & duo pisces, quomodo significāt Christum.

miraculosam panum & piscium multiplicationem, virtute benedictionis Diuinæ peractam. Tertia ratio inde elicitur. Quòd circa benedictionem, tam istorum quinque, quàm aliorũ (quos S. Marcus describit) septem panum sic multiplicatorum, Christus legit vsus fuisse peculiaribus quibusdam Cærimonijs, ijs nimirum, quas nullatenus in benedictione simplicium ciborũ sibi vsitata, sed in cõsecratione dũtaxat sacræ Eucharistiæ adhibebat. Sicut enim in distributione huius panis miraculosi, primò accepit in manus panes, deinde prospexit in cœlum, dehinc benedixit, hoc est, virtutem multiplicatiuam eis indidit, postremò autem, per manus Apostolorum turbis diuisit. Eodẽ modo, dum in vltima cœna sacrã Eucharistiam institueret, accepit panẽ

Cærimoniæ huius miraculi quid sibi velint.
Marci 8 a.

Math. 26 c. Marci 14 c. Lucę 22 b. 1. Cor. 11 e.

panem in manus suas, deinde (vt Canon missæ ex Apostolorum traditione testatur) eleuauit oculos in cœlum, demum benedixit, hoc est, panem & vinum in corpus & sanguinem suum, per consecrationem conuertit, deniq; Apostolis dedit, non solùm vt ipsi manducarent & biberent, verumetiam, vt tum ipsi, tum illis succedentes Sacerdotes, ex manibus eius veluti Sacerdotis æterni, secundum ordinem Melchisedech, sacrificium incruentum & perhenne, in mortis suæ memoriam peragerẽt, illiusquè participem fidelem populum, per distributionem efficerẽt. Quarta ratio. Quemadmodum in sacratissimo Eucharistiæ Sacramento, post consecrationem sacerdotis, verbi Dei virtute, ex simplici pane, fit verum corpus Christi,

Psalm. 109 a. Genes. 14 d.

Iste cibus miraculis Eucharistiã denotat.

fidelibus dispensandum: Ita hîc virtute benedictionis Diuinæ, ex quinque duntaxat panibus hordeaceis, ingrati saporis, & exilis nutrimenti, & ex duobus piscibus, tāta vtriusque huius cibi excreuit copia & vbertas, vt reliquias quidem ipsas, numeroso duodecim cophinorum apparatu excipi oportuerit. Quinta & vltima ratio inde desumitur: Quòd in illis panibus hordeaceis, virtute diuina multiplicatis, inclaruit quædam similitudo eorū miraculorum, quibus sacratissima Eucharistia, reliqua omnia opera Diuina antecellit. Quemadmodum enim in Eucharistiæ Sacramento, sub qualibet, eaque minima eius parte, totus & integer Christus cōtinetur: Ita quinque illi multiplicati panes, re ipsa nō erant diuisi ab ingenti illo panum numero, quibus tanta

Quinque panum miracula.

tanta hominum turba ita expleta est, vt duodecim fragmētorum cophini superfuerint. Si enim tot hominum millia saciare potuerunt quinque duntaxat panes, qui tamen nedum imminuti, sed etiam aucti fuerūt: multò sanè magis populus Christianus, licet numerosissimus, potest refici Christo Domino, qui est panis viuus de cœlo descendēs, sine vlla illius iactura vel diminutione. Deinde sicut Christus, per diuinam suam naturam & potentiam, vbique præsens est, Sacramentaliter autem, in pluribus locis simul in Eucharistia sese præsentem exhibet: Sic etiam quinque illi panes, erant quodammodo in pluribus simul locis: Continebantur enim realiter & substantialiter, in illa numerosissima panum multiplicatorum copia, quorum pars in mani-

Ioan. 6 c.

manibus Apostolorum, alia in manibus, ore, & stomacho sumentium, alia deniq; in singulis ex duodecim cophinis, locum occupabat: cùm tamen Sacramentalis Christi corporis præsentia, ad loci occupationem nõ alligetur. Præcipua autem & singularis, pro re nobis pposita, inter hos cibos ea apparet conformitas: Quòd tanta hominũ multitudo, tempore & loco feruẽti, solis panibus hordeaceis & piscibus (quorum vtrunq; sitim potius excitat) sine vllo potu fuerit perfectè satiata. Quantò ergo magis cibus corporis Chri̅ perfectior & efficatior erit, vt sola cibi sine potu specie, dignè sumentes perfectè in anima possit reficere? Qua in re quandoquidem nostri tẽporis hæretici Ecclesiam Catholicã erroris insimulant, asserentes cõmunionẽ sub altera panis specie, Ecclesiæ iã pridẽ

Cibus iste sine potu satiabat.

Argumentũ & partitio Concionis.

pridẽ vsitatam & familiarẽ, contra Chri̅ testamentariam institutionẽ, sacræ scripturæ præscriptum, & Apostolorũ praxim, fuisse inuectam: & eiusmodi falsa ac erronea persuasione ducti (iuxta verba Apostoli) 2. Tim. 3. in peius pficiant, errantes, & in errorem mittentes. Iccirco in prima istius Cõcionis parte, Deo adiuuãte, præcipuis aliquot sacræ scripturę testimonijs, & vrgentibus rationibus ostendam, vsum Cœnæ Dñi sub vna panis specie, institutioni Chri̅, sacræ scripturæ, & primitiuę Ecclesiæ consuetudini, minimè aduersari: neq; ijs qui sic cõmunicant quicq; de fructu huius Sacramenti decedere. In secunda parte adducam, & simul cõfutabo, aliqua præcipua aduersariorum argumenta, quibus suum de vsu necessario vtriusquè speciei errorem stabilire

nitun-

nituntur. In quo probationis genere, si fortè doctiores quid desiderauerint, breuitati temporis, quæ vnius horæ spacio includitur, hoc imputent, & de suis (si quæ habuerint) dubijs, sermone vel scripto mecum postea amicè agant. Iam Diuino implorato auxilio, rē ipsam aggredior, & vos deuotè esse attētos cupio & hortor.

Agnus Paschalis figura Eucharistiæ. Exodi 12.

Ad pleniorem huius controuersiæ discussionem, primò omnium sciendum est, esum agni Paschalis in veteri lege, fuisse veram & propriam figuram oblationis & manducationis in Eucharistiæ Sacramento Chri e veri agni, qui (vt S. Ioannes Baptista testatus est) tollit peccata mundi. Quod etiam expressè testat̄ S. Ioannes Euāgelista, dum præceptū illud veteris Testamenti, de ossibus in agno Paschali non

e. Isaię 53 b. Ioan. 1 d. Apocal. 5 b. Ioan. 19 f. Exodi 12 g. Numer. 9 b.

non confringendis, accōmodat ad Chr̄um in cruce pendentē, in quo etiam, sicut olim in agno Paschali, ossa infracta remanserunt, vt ibidē S. Ioannes describit. Huic consonat D. Paulus, quando Christum vocat Pascha nostrum immolatū, in azimo pane manducandū. Sed & ipse Christus idipsum manifestè insinuat, dum in vltima cœna, veteri illo ac figurali fermento Paschali, externa quasi lotione abluto, nouum & æuiternum corporis sui Pascha, magno cum desiderio subintulit, & inchoauit. Quod igitur Pascha Iudaicum in figura continebat, idipsum profectò nostrum nouæ legis Pascha, reipsa & veritate exhibeat, necesse est. Tria autem potissimùm Pascha illud legale cōtinebat. Primò quidem, electionē & quēdam apparatum agni immolandi;

1. Cor. 5 c. Lucę 22 b. Ioan. 13 a.

Cœna Domini tria potissimū continet. Exodi 12 a.

landi: qui debebat esse anniculus & immaculatus: deinde eius oblatione seu sacrificium: tertiò agni iam immolati, à tota Iudæorũ plebe manducationem. Eadẽ omnia, eodemq; modo ac ordine, in oblatione noui Testamenti, quæ missa perficitur, cernere est. Primò enim est quidam veluti delectus & apparatus rei offerẽdæ, hoc est cõsecratio, in qua (vt fusè explicat S. Ambrosius) verborum Dei per Sacerdotem prolatorum, virtute & efficatia, panis & vinum substantialiter conuertunt in corpus & sanguinẽ Christi: qui est agnus anniculus, hoc est orbi saluando nouellus; iuxta illud Dauidis: Filius meus es tu, ego hodie genui te: immaculatus verò, hoc est ab omni peccati culpa immunis. Deinde cõsecrationi succedit (in ordine missæ: cùm

Consecratio Eucharistię.

Amb. lib. 4. de Sacramẽtis cap. 4. Et lib. de initiatis cap. 9.

Psalm. 2 b.

Sacrificium Missæ incruentum.

cùm alioqui in ea cõtineatur) agni eiusdem oblatio seu sacrificiũ, non quidem illud cruentum veteris Testamenti secundum ordinẽ Aaron, quod teste D. Paulo, Chrũs summus Sacerdos, proprio corpore & sanguine profuso, semel compleuit, ita vt illud iterare (cùm viuus permaneat) non posit: sed sacrificium nouæ legis proprium ac incruentum, sub panis & vini speciebus, secundum ordinem sacerdotij Melchisedech, quod iuxta Dauidis vaticinium, & S. Pauli sensum rectè intellectum, Christus perpetuò ad dexteram patris sedens gerit, illudq; visibiliter & Sacramẽtaliter, per Sacerdotes ritè ordinatos in Ecclesia Catholica exercet. Tertiũ & vltimum, quod Pascha nostrum ad instar veteris continet, est ipsa sacrificij participatio vel sumptio, quæ

Hebr. 9 b.

Psalm. 109 b. Genes. 14 b. Hebr. 7 d Rom. 8 f.

Participatio sacrificij per communionem.

quæ per Sacerdotem peracto sacrificio, fidelibus ad hoc ritè præparatis communicatur. Vsus itaque utriusque speciei Eucharistiæ, de quo nobis res & concertatio est, propriè non pertinet ad consecrationem, neque ad sumptionem, sed ad sacrificij oblationem. Consecratio enim, modo quo supra accepta, hoc solùm agit, vt nobis Christum præsentem in Eucharistiæ Sacramento exhibeat: sed quia, teste Apostolo, Christus semper viuens ac indiuisus permanet, sequitur, illũ nulla specierum panis & vini diuersitate diuidi posse, quominus in altera earum, minimaque illarum parte integer percipiatur. Idẽ de sumptione dixeris: quæ illud saltem requirit, vt à fidelibus, ad efficatiorẽ peccatorum remissionem, animæ sustentationem, & spiritualem cum Chr̃o

Vsus vtriusque speciei quò propriè spectat.

Rom. 6 b. 1. Cor. 1 b.

Christo vnionem, verum Christi corpus Sacramentaliter sumatur, hoc est ipse Christus, qui (vt dictũ est) non minus sub vna, quàm sub vtraque specie integer continetur. Reliquum ergo est, institutionẽ ac vsum vtriusque speciei, propriè pertinere ad ipsam oblationem seu sacrificium. Quod etsi reipsa incruentum sit (vt antea præmonui) illius tamen sub duplici, ac specie tenus separata, corporis & sanguinis oblatione, commodissimè repræsentatur, mortis & effusionis sanguinis Christi memoria, quam Dominus Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus, ad diem iudicij iugiter faciendam esse demandauit. Hoc quod iã diximus, propriè & admodum efficaciter cõfirmat effectus sacrificij agni Paschalis. Cuius sanguis non pertinebat

Vtraque speci-es cur ad sacrificium necessaria, & quãdo secus.

Luc. 22 b. 1. Cor. 11 f.

Exodi 12 b.

ad delectum seu apparatum, neque ad sumptionem, sed tantùm ad oblationem: qua peracta, sanguis ille agni iam immolati, postibus in domibus Iudæorum illitus, eorum habitatores à percussione primogenitorum Aegipti per Angelum patrata, liberabat. Ad eundem modum [k] agnus & Pascha nostrum Christus IESVS, assistens (vt Apostolus docet) Pontifex futurorũ bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, neq; per hircorũ aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Etenim iannã paradisi, post præuaricationem primorum parentũ nostrorum, Cherubino cum gladio flammeo, hoc est potestate infernali, humano generi præclusam, ipse sanguinis ꝓpriȷ effusione primus

k. Isaię 53 b. 1. Cor. 5 c. Hebr. 9 b.

Genes. 3 d.

mus penetrauit, & nobis tutam ac peruiam reddidit. Quemadmodum igĩt Iudæi, hoc erroris & cœcitatis suæ habent fundamentum, quòd inter primum humilem aduentum Christi in carne mortali, & inter secundũ in maiestate gloriosum, non discernunt, sed tot sæculis vana Messiæ expectatione deluduntur: Ita nouatorũ, qui vsum vtriusq; speciei Eucharistiæ, tanq̃ à Christo omnibus in vniuersum præceptũ vrgent, error, ex hac potissimùm inculta radice enascitur, quòd scripturas de institutione & vsu sacræ Eucharistiæ, ita vt par ẽ non discernũt. Quando enim scriptura agit de institutione sacrifica huius Sacramenti, meritò vtramq; illius speciem exprimit, ad denotandam mortis Christi memoriam, vt superius docui. At vbi de simplici

Error de vtraque specie vnde oriatur

vsu ac sumptione illius res est, frequentius vnius tantùm, quàm vtriusque speciei mētio fieri solet: quandoquidē vtroque istorū modo, verus & integer Chr̄us percipitur: dummodò id in Ecclesiæ vnitate & charitate, ad rem Sacramenti percipiendam fieret, vt postea dicetur.

Testimonia sacræ scripturæ de vsu alterius speciei.

Quod ita esse, quatuor duntaxat præcipuis sacræ scripturę testimonijs comprobabo. Inprimis autem cùm Christus Dominus apud tres Euangelistas, sacrificium istud, illiusque vsum institueret, cōuenienter vtriusque speciei mētionem & vsum separatim adhibuit dicens: Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus: Hoc facite in meam cōmemorationem. Quibus verbis præcepit Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus facere id, quod ipse tum ad repręsentandam mortis

Math. 26 c.
Marci 14 c.
Lucę 22 b.

Facere Eucharistiā in memoriam mortis quid.

tis suæ iugem memoriam faciebat: non profectò per manducationem vel bibitionem, quorum vtrumque (etiam in patiente, nisi mors præcedat) vitam potius quàm mortem repræsentat: sed per sacrificium, quo per separatā, specie tenus, corporis & sanguinis cōsecrationē & oblationē, ꝓpriē, licet modo incruēto, exprimit memoria mortis Chr̄i, quæ effusione sanguinis aqua mixti à corpore, eo iam in cruce mortuo, fuit potissimùm comprobata. Huc accedit, quòd in sacris literis, verbum (facere) sæpius sumitur pro sacrificare: Verbi gratia, quando Dominus dicit: Facietis hœdum pro peccato, id est offeretis: Cuius locutionis [1] complura in sacris Biblijs extant exēpla. Quòd autem hoc etiam loco, verbum (facite) de sacrificio intelligēdum

Ioan. 19 f.
Leuit. 23 c.
1. Numero: 6 b. 8 b.
Iudic. 13 c.
Ezech. 45 e.
Lucæ 2 d.

dum sit, vel inde cõuincitur, quòd ipse Christus (vt refert S. Matheus) paulò ante hæc verba, in ipso vltimæ cœnæ apparatu, eodem verbo in hunc sensum vsus fuerit, sic inquiens: Magister dicit, Apud te hodie facio Pascha cum discipulis meis. In quo volebat Christus retinere phrasim Hebræam sacræ scripturæ vsitatam, quæ immolationem Paschalem, per verbum (facere) [m] plerunq; enunciare solet. Ex quibus euidentissimè colligitur, vtriusque speciei Eucharisticæ vsum, qui à DOmino præcipitur, propriè pertinere, non ad esum aut potum (vt nouatores somniant) sed ad Sacrificium, quod ad exprimendam mortis Christi memoriam (vt dictum est) vtramque speciẽ conuenienter adhibet.

Math. 26 b.

m. Exo. 12 g Numer. 9 b. Deuter. 16 a. Iosuæ 5 c. 4. Reg. 23 e.

Instabũt hîc aduersarij: Si (inquient) manducatio & bibitio Eucharistiæ prorsus non pertinet ad renouandam mortis Christi memoriã: quorsum pertinebit illud Apostoli dicentis: Quotiescunque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat? Quibus respondeo: Primùm. Quamuis hæc verba tali sensu essent accipienda: adhuc tamen illis satisfieret, apud nos Catholicos, apud quos sumptionem Eucharistiæ etiam laicam, necessariò, propter cõsecrationem, præcedit mortis Chri memoria, per Missæ sacrificium, in quo sumptio vtriusq; speciei per sacerdotes fieri solet. Insuper autem concedimus, sũptione Eucharistiæ fieri etiã aliquo modo mortis Chri memoriam: non tam quidem, quatenus vtraq; species manducatur & bi-

Bibitione calicis quomodo etiam annunciatur mors Christi.

1. Cor. 11 f.

& bibitur (quamuis vtraq; magis, quàm altera tantùm, hoc mysteriũ exprimat) quàm quatenus manducatione vel bibitione eiusmodi, aliquis fit particeps incruenti illius sacrificij, quo propriè mors Chri̅ exprimitur: siue ea sumptio fiat sub vtraq;, siue sub vna specie. Si enim

2.Mach. 6 d. 1.Cor. 8. 10 c

sacrificiorum, tam prophanorum quàm sacrorum, vel minima particula, etiam sine potu sumpta, integram illorum participationem efficiebat: magis hoc locum habebit in sacrificio Christi, in quo sub alterutrius speciei minimo momento, integer Christus Pascha nostrũ exhibetur. Hic locus quē modò ex tribus Euangelistis citauimus, propriè intelligitur de institutione & oblatione sacræ Eucharistiæ: Reliqui ferè agunt vel de promissione, vel de simplici vsu huius Sacramen-

cramenti: ideoq; vt plurimùm alteram tantùm panis speciem exprimere solent: vel si quando vtriusq; mentionem faciunt, illud fit non intentione præcepti, & obligationis ad vtriusq; sumptionem, sed alterius rationis, quæ ex talibus locis benè intellectis deprænditur. Alterum igitur testimonium quod hîc adducere ꝑposui, est, ex sexto diui Ioannis Euangelico Capite. Vbi Christus bienniò ferè ante passionem suam, & huius Sacramenti institutionem, ex occasione cibi istius miraculosi quinq; panum, qui (vt antea audistis) Eucharistiam adumbrabat, fecit promissionem istius Sacramenti: preparando per fidem, apto miraculo excitatam, corda incredulorum, ad tantum mysterium capiendum.

Expositio doctrinę de Eucharistia in cap. 6. S. Ioannis.

Vbi illud inprimis notandum est, Chr̄um

Christus videtur unã al-

tercandi de speciebꝰ præcludisse.

Christum æternam sapientiam, vt viam altercandi de speciebus præcluderet, quindecies in hac disputatione, solius panis, vel cibi mentione fecisse, eiusq; manducationi vitam æternam aliquoties promisisse: quater autem tantummodò vtriusq; speciei meminisse: idq; non intentione præcepti, ad illarũ sumptionẽ (vt Husitæ contendebant) sed vt incredulis illis aduersarijs, naturam & proprietatẽ huius Sacramenti magis elucidaret.

Quod vt melius intelligatis, non grauabor totius istiꝰ insignis & ꝓfundæ Chr̄i doctrinæ seriem, simplici & expedito sensu elucidare.

Disputatio Christi cum Iudaicis Sacramẽtarijs.

Vbi inprimis sciendum est, huius doctrinæ occasionem, Chistum arripuisse, ex iusta reprahẽsione turbarum, quæ illum maximo concursu

cursu sequebantur, non tam religionis, quàm corporalis alimenti studio. Propterea sic illos alloquitur: Operamini cibum qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Illis autem percontantibus, quænam esset illa operatio ad cibum eiusmodi consequendum? Christus primùm omnium (teste Beato Cyrillo) remittit illos ad fidem, quæ est prima humanæ salutis ianua, & ad capiendum huius Sacramenti mysterium apprimè necessaria, iuxta illud ISaiæ Prophetæ: Nisi credideritis, non intelligetis. Ideo sic illis Dominus respondet: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille. Sed quia (teste Apostolo) in rebus etiam euidentissimis, Iudæi signa quærunt: factum est, vt & ipsi signum

Ioan. 6 d.

Cyril. lib. 4. in Ioannem cap. 14.

Hebr. 11 b.

Isaię 7. iuxta versionẽ 72. interpretũ.

1. cor. 1 d.

signum aliquod cœlitus à Domino exposcerent: allegantes exemplū Mosis, qui manna n cœlico patres illorum in deserto sustentabat: hoc quasi maiori miraculo, multiplicationem quinque panum per Chrūm factam, quodam modo diluentes. Respondet Christus: Manna illud non fuisse verè cibum cœlestem, hoc est qui hominem cœlestem & immortalem efficeret: quandoquidem patres illorum, manna illo saciati, mortui sunt, hoc est (vt dicit Apostolus) rebelles, maxima ex parte damnati, iusti autem ad salutem sine nobis non fuerunt consummati. Ideoque denunciat illis cibum suum verè cœlestem, ad salutem æternam efficacissimum, qui est duplex: Primus p verbi Dei, qui ante omnia, per fidem, ad viuificandam à morte peccati animā, percipi

n. Exod. 16 d. Numer. 11 b. Psalm. 77 c. Sapient. 16 c.

1. Cor. 10 b. Hebr. 11 d.

Cibus animæ duplex.

p. Deut. 8 a Math. 4 a.

cipi debeat. De quo, sic loquitur: Ego sum panis vitæ: qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet in æternum. Quibus verbis disponebat eos, vt tot miraculis, & beneficijs suis excitati, duriciem & incredulitatem suam deponerent, sibique tota voluntate adhærentes, per viuam charitatis fidem, à morte peccatorum reuiuiscerent: Maximè cùm Deus pater qui vitæ & mortis habet potestatē, nullis humanis meritis præcedentibus, se tanquam verum Mediatorem posuerit, ad eos saluandos, qui sibi viua fide adhærerent: per quam liberabunt à morte, non solùm animæ per gratiam, sed etiam corporis, in die nouissimo, ad immortalem vitam, à se resuscitandi. Sed quoniam ille, qui per fidem viuificatus est, ad talem vitam sustentandam,

Deutor. 32 f. 1. Reg. 2 b. Sapient. 16 b

Cibus Eucharistiæ, eius perfectio.

dam, cibo vitæ suæ congruo indigeat: ideo murmurantibus illis, quòd qui purus homo oculis eorum apparebat, sese panem cœlestem appellaret, maiorem exinde de altero corporis sui cibo docendi occasionem Christus arripuit inquiẽs: Ego sum panis vitæ, Patres vestri manducauerunt manna in deserto & mortui sunt: Hic ē panis de cœlo descendens, vt qui ex illo manducet non moriatur. Vbi Christus ostendit, se talem esse cibum, non solùm qui credatur, sed etiam qui manducetur, & vitam spiritualem verè foueat ac sustẽtet. Quod probat tribus cibi istius perfectionibus, quæ soli Christo congruant. Prima est. Quòd quemadmodum Christus est q vita nostra, & in ipso vita nostra spiritualis cõsistit: ita ad sustentandam hanc vitam

q. Ioan. 12.
5 d. 11 c.
2. Cor. 4 c.
Colos. 3 a.

tam

tam, ipse in cibo verè sese nobis cõmunicat: cùm tamen manna illud quod Iudæi laudibus extollebant, tantam potestatem non habuerit. Secunda perfectio est: Quòd cibus iste de cœlo descenderit. Hoc autem soli Christo proprium est, præter quem nemo (vt ipse ad Nicodemum dicebat) ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis, qui est in cœlo. Tertia perfectio est: Quòd cibus iste sit viuus. Res enim creatæ in cibũ assumptæ, viuere non possunt. Christus autẽ æternus & consubstantialis Dei filius (vt S. Andreas Apostolus dicebat) talis agnus est, qui licet quotidie in altari immoletur, & populus Christianus assiduè de carne & sanguine eius participat, ipse tamen viuus, integer, & immaculatus perseuerat. His

Ioan. 3 b.

Vide in eius vita.

K eo mo-

eo modo comprobatis, vnica conclusione omnia præcedentia Christus complectitur dicẽs: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi: Si quis ex illo manducauerit, viuet in æternum. Quasi dicat: Quamuis vobis externa tantùm considerantibus, videar esse purus homo: efficit tamen latens & vobis ignota Diuinitas, quòd sim cibus ille de cœlo descendens, & animas dignè sumentium viuificans. Ne autem rursus putarent, Diuinitatem corporis expertem, spiritualiter tantummodò in hoc Sacramento agere: qui error nunc Sacramẽtariorum est: ideo Christus sese explicat, sic subinferens: Panis quẽ ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Ac si planiùs diceret: Cibus ille de cœlo descendens, & homines viuificans, de quo vobis dicebam, vt

Zuingliani- smi occasionem prẹcludit Christus.

(vt clarius dicã) est caro mea: eadem nimirum illa, quæ Diuinitati hypostaticè vnita, redemptionem totius mundi per passionẽ & mortem est effectura. Quam promissionem suam Christus Dominus, vt re ipsa, ita verbis vix dissimilibus, in vltima Cœna, præstitit & compleuit, quando accepto pane & in corpus suum transmutato, Apostolis ad edendum, & alijs similiter dispẽsandum dabat, inquiens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: id est, ad mortem, pro redẽptione seu vita mundi, quemadmodum hic explicat: Quæ Christi adeò clara & perspicua doctrina, magis etiam Capharnaitas scandalizauit: qui magna contentione murmurabant dicentes: Quomodo potest nobis hic carnem suam dare ad manducandum:

Math. 26 c.
Marci 14 c.
Lucæ 22 b.
1. Cor. 11 e.

dum ? Existimabant enim (vt vult
Diuus Augustinus) Christum car-
nem suam eo modo daturum, quo
caro animalium mortua in macel-
lo venditur, non quomodo viuũ
corpus spiritu vegetatur. Propte-
rea CHristus respondet : Amen
amen dico vobis : nisi manducaue-
ritis carnem filij hominis, & bibe-
ritis eius sanguinem, non habebi-
tis vitam in vobis. Quibus verbis
Christus, non ea intẽtione sangui-
nis sui meminit, vt omnes & sin-
gulos ad sumptionem illius obli-
garet (vt quidam [r] ex mortua lite-
ra decipiuntur) Frustra enim Chri
stus vtriusq; speciei vsum Caphar-
naitis suasisset, qui de neutra quic-
quam adhuc credebant. Sed eo po-
tissimùm consilio corporis & san-
guinis sui meminit, vt hoc magis
elucidaret, quod antea dixerat, se
carnem

Aug. tractatu 27 in Ioãnem. Et in Psalm. 98.

Christus cur hic meminit sãguinis sui.

r. 2. Cor. 3 b.

carnẽ suam ad manducandum esse
daturum, quæ quidem & quatenus
pro mundi vita erat exhibenda.
Quod quia peractum est per eius
mortem, quæ effusione sanguinis à
corpore comprobata est : meritò
etiam in his verbis sanguinẽ à cor-
pore separat : volens hoc pacto in-
credulos illos hõies quasi manu du
cere, sicut ante ad fidẽ, ita nunc ad
passionis suæ mysterium capiendũ
ex quo postmodũ doctrinam Eu-
charistiæ facilius capere potuissent.
Quem verborum istorum sensum
esse verum & ꝓprium, præter hoc
quod iam dixi, illud etiam compro
bat, quòd Christus huic participa-
tioni corporis & sanguinis sui, de
qua hîc loquitur, attribuit istos ef-
fectus, nimirum vitæ æternæ con-
secutionem, resuscitationem in die
nouissimo, & mysticam secũ vnio-
nem :

Manducatio spiritualis Christi qualis.

1. Ioan. 3 a. 11 c. Roman. 6 a. Coloss. 2 b. Hebr. 2 c.

nem: qui effectus (proprie competunt merito passionis suæ: cuius quamprimùm infans per baptismũ particeps factus fuerit, indubie hos quos modò dixi effectus consequetur: quamuis, iudicio etiam aduersariorum, ad sacramentalem corporis & sanguinis Christi participationem nullatenus admittat. Et hoc sensu intelligendus est D. Augustinus, & quidam alij sancti Patres, qui verba præscripta, ad spiritualẽ per fidem manducationem, interdum deflectunt. Per fidem enim in baptismo, etiam infantibus, applicatur meritum passionis & mortis Christi, ad eos quos dixi effectus salutiferos consequendos. Rursus autem ex passione & morte Christi, profluit Eucharistia, ab adultis, si non re, saltem cõstanti voto, necessariò percipienda. Ad confirma-

Aug. lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 25. & sermone. 11. de verbis Domini cap. 11. Item tractatu 26. in Ioannem.

Corpus suũ verum esse in Eucharistia asserit Christus.

firmationẽ istius sensus pergit Christus spiritualem & realem manducationem corporis & sanguinis sui expresſius distingere, quando subiungit: Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Vbi aduertite: Christum nõ dixisse: Caro mea verus est cibus: Alioqui enim scriptura sacra attestante, fides, & verbum Dei, sunt verus cibus animæ. Sed dicit: Caro mea vere est cibus: hoc est propriè, & eo modo, qui hominibus ad manducandum communis est: nisi quòd Sacramentaliter sub alienis, propter hominum infirmitatẽ, speciebus exhibeatur. Queadmodum enim panis materialis à corpore longe diuersus, virtute tamẽ caloris naturalis in carnem humanã substantialiter conuertitur: Ita panis iste supersubstantialis, virtute gra-

Deuter. 8 a. Math. 4 a. Luce 14 d. Ioan. 4 b.

t. Math. 5 c. Lucæ 12 f. Apocal. 3 d.

gratiæ Dei, per t feruentem charitatem in nobis inhabitantis, quodã modo decoctus, nostram potius substantiã in sese spiritualiter transmutat, iuxta verba Christi sic dicẽtis: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Quod diuus Cyrillus apta similitudine declarat, inquiens: Sicuti quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat; ita necesse est, si quis carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungatur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur. Vnde conuincitur peruicax & stulta incredulitas eorum, qui realem & substantialem corporis Christi in Eucharistia præsentiam pernegant. Cùm autem plerunq; vsu

Cyril. in Ioannem lib. 4 cap. 17. Et libro 10. cap. 13.

vsu veniat, vt stulti, dum vitant vitia, in contraria incurrant: voluit Christus æterna sapientia, reliquis quæ sequuntur verbis, alijs duobus contrarijs de Eucharistia erroribus viam præcludere. Alter erat Capharnaitarum, qui nimis carnaliter (sicut Sacramẽtarij nimis spiritualiter) hæc verba intelligebant. Alter deinde erat Nestorianorum, qui sub specie panis tantùm corpus vel potius exangue cadauer: sub specie autem vini duntaxat sanguinem, aut verius exanimẽ cruorem constituebant: Propterea Christus ostendit, quòd licet species huius Sacramenti sint diuersæ & sæparatæ, se tamen in illis viuum, integrum, & indiuisum permanere: dum sic inquit: Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, & ipse

Duos externos errores de Eucharistia, confutat Christus.

Species diuersæ Sacramenti, non diuidũt Christum.

& ipse viuet propter me. Vbi clarissimè explicat, manducationē & bibitionē, esse res, quæ species quidem ipsas, earumq; diuersitatis notam, hoc est mortem Christi respiciant: cibum autē ipsum qui Christus est, sola manducatione, sicut & bibitione (si Ecclesiæ consuetudo ferret) perfici posse. Confutatis igitur his erroribus, cōcludit Christus hanc doctrinam, eadem quam primò asseruerat propositione, inquiens: Hic est panis qui de cœlo descendit: non sicut patres vestri manducauerunt manna, & mortui sunt: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Sed queādmodum sol, vno eodēq; purissimo calore suo, ceram liquefacit, lutū autem condensat: Sic etiam verissima hæc, & clarissima Chri doctrina, sicut bonis auditoribus ædificatione

Hæresim Sacramentariorum Christus prænunciat.

tionem, ita peruersis ac obstinatis scandalum attulit. Pleriq; enim ex Capharnaitis, nonnulli autem ex discipulis septuaginta, his verbis adeò fuerunt offensi, vt ab eo descuerint, dicentes: Durus est hic sermo, & quis potest audire illum? Quos Dominus mansuetissimè (vt solet) obiurgat, dicens: Hoc vos scandalizat? Si igitur videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius? Quasi dicat: Non potestis adduci ad credendum, posse vos meo corpore & sanguine saciari, donec vobiscum in carne conuersor: quid ergo erit, quando u videntibus quibusdam ex vobis, ad dexteram patris me vobis subtraxero: vbi & carnis x glorificatæ cōditio, & loci immensum ac firmissimū interuallum, hæc vobis multò reddent difficiliora? Nonne vobis, deuoti

u. Actor. 1 b.
x. Luc. 20 f.
y. Luc. 16 f.
Iob 37 d.

uoti auditores videtur CHristus ad viuum expresſiſſe modernum errorem Sacramentariorum, qui præſentiam realem corporis Christi in Euchariſtia, ideo potiſsimùm denegant, quòd in Symbolo profiteamur, Chriſtum ex iſta terrena conuerſatione, ad patris dexteram transmigraſſe. Deniq; tanti miraculi potiſsimam rationem ſic Chriſtus ſubinſert, dicens: Spiritus eſt qui viuificat, caro nō prodeſt quicquam. Videtur autem alludere ad illud, quod in Iſaia legimus: Omnis caro fœnum &c. aruit fœnū & flos eius decidit; verbum autē Domini manet in æternum. Quēadmodum enim carnis humanæ mortalis natura, ex vnione verbi æterni, immortalitatem & alias præclaras dotes eſt conſecuta: Ad eundē modum, quòd caro Chriſti viua, & ci-

Spiritusſanctus mira operatur I Eu chariſtia.

Iſaiæ 40 b.

& citra vllam ſui iacturam, in cibū hominibus vitalem aſſumatur, euenit hoc, nō natura & virtute ipſius carnis, quæ ad eam rem ex ſe non prodeſt quicq;: ſed (vt Cyrillus & Damaſcenus docet) virtute Spiritus ſancti, & diuini illius vigoris, quo (teſte Apoſtolo) viuimus, mouemur, & ſumus. Si enim corpus humanum, [x] natura ſua terrenū & animam aggrauans, quantò ſenſus animales cōtinet vegetiores, tantò magis præter naturam ſuam ſurſum mouetur, exilit, & quandoq; altiſsima petit faſtigia: multò magis Chriſti corpus nobiliſsimum & ſubtiliſsimum, Diuino inſuper ſpiritu, [y] qui vbicunq; vult ſpirat vegetatum, poteſt eſſe hominibus in cibum, non ſolùm viuentem, ſed etiam viuificantem. Primus enim Adam (vt inquit Sanctus Paulus

Cyrill. ſuper Ioan. lib. 4. cap. 14. Damaſc. lib. 4. de fide cap. 14.

Actor. 17 f.

x. Sapiēt. 9 d

y. Ioan. 3 b.

1. Cor. 15 f. Paulus) factus est in animam viuentem: secundus autem Adam Christus, in animam viuificantẽ. Hanc efficacissimam & diuinam miraculi istius rationem, magis adhuc cõfirmat & elucidat Christus inquiẽs: Verba quæ ego locutus sum vobis spiritus & vita sunt: sed sunt aliqui ex vobis qui nõ credunt. Ac si planius dixisset: Cùm ego ipse sim z
z. Ioã. 1 a 8 c. Apoca. 19 b. Sapient. 18 c. Lucæ 1 d. Hebr. 4 c. verbum æternum & omnipotens: certè verba mea de corpore meo vobis dicta, nõ minùs referunt eũdem spiritum & vitam, quibus, nõ autem mortali (vt putatis) fragilitate, caro mea in cibum spiritualẽ, hoc est sacramentalem ac vitalem, vobis proposita constat: si modò a. 2. Cor. 10 a carnalis a intellectus vester, in obsequium fidei ad talia capienda captiuetur. b. Marci 9 d. b Credenti enim, omnia sunt possibilia. Notandum autem est

est diligenter, Christum in hac de Eucharistia doctrina, eundem ferè ordinem tenuisse, quo paulò ante in doctrina de baptismo, ad Nicodemũ vsus fuerat. Cùm enim Nicodemus non potuisset capere regenerationem spiritualem ex aqua & Spiritu sancto: Christus crassũ hunc Magistri in Israel errorẽ confutauit aptissima similitudine venti. Si enim ventus, magis ex effectis, quàm ex causis vulgò dignoscitur: quatnò magis effectus Spiritussancti, nõ ex externorum elementorum (verbi gratia, aquæ in baptismo, vel panis & vini in Eucharistia) natura, sed ex occulta virtute, fide magistra, sunt metiendi? Hanc Christi doctrinam diligentius, quãtum instituta breuitas tulit, explicare libuit, propterea, ꝙ inter eruditos, qui de illo disceptare solent,

Ioan. 3 a.

Cur hic locus S. Ioãnis explicatus.

lent, olitor etiam (vt aiunt) quandoque opportunè fuerit locutus. Deinde quod germano illius sensu, peruersum Capharnaitarum, Nestorianorum, Sacramentariorum, & Vtraquistarū dogma, videt prorsus euelli & cōcidere. Maximè verò, vt intelligatis, veritatem Catholicam esse tam euidentem ac strenuam, vt aduersarios proprijs etiā eorum telis confodiat. Reliqua proposita testimonia breuiter, quoad fieri poterit expediam. Tertium igitur assertionis nostræ testimonium est, ex illo loco Beati Pauli, dū ad Corinthios sic scribit: Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nōne participatio corporis Domini est? Quia vnus panis & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane par-

Tertium testimonium pro vsu vnius speciei.

1. Cor. 10 d.

pane participamus. Quibus verbis Apostolus, eū calicis vsum, qui omnibus in vniuersū fidelibus cōmunis esset, refert ad benedictionē: per quam intelligitur consecratio, quæ etiam includit oblationem, seu memoriam incruentam passionis & mortis Christi, cui oēs quicunque Christiano censentur nomine, ex æquo communicant, vt antea explicatum est. Participationem autem huius Sacramēti, refert ad fractionem, quam speciei panis congruere, in confesso est: vt vel inde intelligas, bibitionem calicis sacrificio congruere: participationē autem corporis Christi sub vna panis specie, communioni fidelium Sacramentali sufficere. Quem istorū verborum sensum, antecedentia & consequentia optimè comprobāt. Primò, dum Apostolus præpostero or-

Communicatio sanguinis CHristi qualis Apostolo.

ro ordine sanguinem corpori prę-
ponit, vt etiam ea re, hoc passio-
nis & mortis Christi mysteriũ insi-
nuet: Deinde, cùm præcipuum ef-
fectum istius Sacramenti, qui est
vnio corpori Christi mystico, soli
corporis Christi sub specie panis
participationi attribuit, dicens:
Vnus enim panis & vnum corpus
multi sumus, qui de vno pane par-
ticipamus. Tam euidentem Diui
Pauli doctrinam, conantur aduer-
sarij, varijs sermonum exquisitorũ
inuolucris obscurare: sed nostrum
est, charissimi, hac maximè tempo-
ris penuria, in verbis adeò claris
niti, non folijs loquacitatis, sed ra-
dice veritatis. Quartum testimoni-
um cõstabit exemplis ex sacra scri-
ptura deprõptis. Primum est ipsi-
us Christi. Qui post suam resurre-
ctionem, legitur discipulis suis, in
Ema-

Quartũ argumentũ ab exẽplis Christi & Apostolorum.

Lucæ 24 c.

Emaus, Eucharistiam sub vna pa-
nis specie dedisse: quandoquidem
post datum panem, sine vlla calicis
mentione, ex oculis eorum euanu-
isse dicatur. Quòd autẽ tunc Chri-
stus, non simplicem panem, sed
corpus suum dederit, hæ inter ali-
as rationes conuincunt. Primò q
S. Lucas actum illum, bis appellat
fractionem panis, quod nomen sa-
cræ Eucharistiæ [c] in nouo Testa-
mento est peculiare. Deinde, quòd
Christus dum illud ageret, vsus est
cęrimonijs, huic Sacramento pro-
prijs & vsitatis, maximè autem be-
nedictionis, quam (vt antea dictũ
est) [d] in distributione dũtaxat Eu-
charistiæ, vel cibi alicuius miracu-
losi eam adumbrantis, adhibere so-
lebat. Tertiò, quòd S. Lucas bis in-
culcet, discipulos statim cibo illo
degustato, oculis non sine miracu-

Christus dedit corp9 suum sub vna specie.

c. Actor. 2 g 20 b.
1. Cor. 10 d.

d. Math. 26 c 14 b.
Marci 14 c. 6 f.
Lucæ 9 b.
Ioan. 6 b.
1. Cor. 11 c.

lo apertis Christum agnouisse: nō profectò ex ipso frangendi modo, cùm ex facie, sermone, & doctrina facilius eum agnouissent. Sed sicut olim in Paradiso, esus vetiti fructus, oculos primorum parentum nostrorum, ad cognoscendam carnis suæ mortalitatem aperuerat, ita contrario modo [e] fructus ille benedictus ventris virginalis, à discipulis comestus, oculos eorum ad cognoscendum immortalitatis autorem illuminauit. Quod magis adhuc confirmatur ex eo, quod nullus Doctorum Orthodoxorū est, qui neget, Christum illic corpus suum dedisse: non paucos autem reperio, qui id affirment. Ex quibus sunt S. [a] Chrysostomus, [b] Hieronymus, [c] Augustinus, [d] Theophilactus, Beda, Glossa, Strabus, Oecumenius, [e] Hesychius: & si qui sunt alij.

Genes. 3 a.

e. Luce 1 d.

a. Homel. 17. operis imperf. Et homel. 9. locorum in Math.

b. De Epitaphio Paulæ.

c. Lib. 3. de cōsensu Euāgel. cap. 25. Et serm. feria 2 Paschę.

d. Super Lucę 24.

e. lib. 2. cap. 9

alij. Quamuis autem Beatus Augustinus locum hunc, etiam spiritualiter (vt supra dictum est) intelligat: Sensus tamen ille spiritualis, huic literali minimè repugnat: immò multum facit ad rem nostram. Vnitas enim Ecclesiæ, sine qua nemo Christum verè agnoscere potest (quam diuus Augustinus hoc mysterio commendat) hoc potissimùm Sacramento perficitur, quod tunc Dn̄us discipulis dabat: dicēte Apostolo. Vnus panis & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus. Refert etiam S. Hieronymus, ex Euangelio quod secundum Hebręos legebatur, Christum post resurrectionem suam, dum Iacobo fratri suo secundum carnem appareret, illi Eucharistiam eodem modo, quo discipulis in Emaus, hoc est sub vna panis

1. Cor. 10 e.

S. Hieron. in Catal. scrip. Ecclesiast.

 specie

specie, dedisse. Legimus etiam in vita S. Dionysij Areopagitæ, ante eius passionem, Christum sibi apparuisse, eiq; Eucharistiam sub vna panis specie dedisse. Sed nec Apostolorum obscuriora ea de re extãt exempla, in Actis eorum à S. Luca annotatis. Legitur enim ibidem Capite secundo, Apostolos cum vniuersa illa recens collecta Ecclesia, perseuerasse in doctrina Apostolorum, communicatione, & fractione panis, & orationibus. Vbi non obscurè elucet forma missæ publicæ in Catholica Ecclesia, quam tãquâm nouam & ficticiã explodunt hæretici. In qua similit᷑, post quosdam mysticos cantuum, & laudis Diuinæ apparatus, proponit᷑ primò doctrina Apostolorum, ex Epistolis vel Prophætijs, deinde ex Euangelio, cuius postmodum explicatio

Communio sub vna specie tempore Apostolorũ.

Missę publicę forma Apostolis usitata.

Vide Dion. Areopag. de Eccles. Hierarch. cap. 3. Iustinũ Apologia 2. Tertull. in Apologetico.

catio in cõcione ad populum subsequitur. His succedit panis Eucharistici communicatio, per sacrificã mortis Christi memoriam, omnibus in vniuersum communem, vt antehac explicui. Deiñ panis eiusdem fractio, hoc est, fidelibus dignè præparatis distributio. Deniq; circa hæc fiunt orationes (& vt monet Apostolus) obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate ac castitate. Quin & ipse Christus, in sua illa de Eucharistia doctrina, quam initio explicui, videtur eundem sacræ communionis ordinem insinuasse. Nam (vt ibidem explicatum est) primò agit de fide, quæ fit per auditum verbi: Secundò de myste-

1. Tim. 2.

Ioannis 6.

 rio

rio sacrificij corporis sui: tertiò de eiusdem sacramentali participatione: Postremò Sancti Petri illa cōtra Capharnaitas fidei professio, quandam laudis & gratiarū actionis speciem cōtinet. Alterum exēplum Apostolicum habetur Actorum 9. quando Saulus conuersus & recuperato visu, baptisatus comedit, & confortatus est. Quē cibum confortantem, non solùm aliqui sancti Patres, sed ipse Lutherus communionis laicæ capitalis hostis, interpretatur de sacra Eucharistia, quæ in primitiua Ecclesia, adultis, statim post baptismum dari solebat. Tertium exemplum est eiusdem Beati Pauli, dum Troadæ noctem in concionibus & orationibus, cum illa Ecclesia exigens, panis fractione, hoc est Eucharistica communione, vsus esse legitur.

LVtherus sermone de Eucharistia.

Actor. 20 b.

tur. In quo loco, sicut in primo ex Actis citato, pro fractione panis, textus Syriacus habet fractionem Eucharistiæ, & muneris benedicti. Quartum eiusdem exēplum refertur circa finem Actuum Apostolicorum, quando ante naufragium perpessum, cibo se ipsum & socios, ad salutem roborauit: quem cibum similiter Diuus Chrysostomus de Eucharistia interpretatur. Ex quibus exēplis euidenter apparet & concluditur, in primitiua Ecclesia fuisse consuetudinē communicandi sub vna specie. Quòd autē hæretici farraginē testimoniorū cōgerunt, quæ comprobant, in eadem primitiua Ecclesia, & paulò post, vtriusque speciei vsum non defuisse. Respōdetur illis: primò, frustra illos niti sancto-

Actor. 27 f.

Chryso. homel. 17. operis imperfecti.

Vsus calicis antiquiori Ecclesię non pro lege habitus.

Sanctorum Doctorum testimoījs, quos in plurimis fidei articulis prorsus reijciant, & erroris insimulent, non rarò etiam conuicijs insectentur. Deinde Sancti Patres non minùs communionis sub vna specie, quàm sub vtraq; solent meminisse. Et sic hoc duntaxat ex illis concludi potest, communionē sub vtraq; specie, fuisse etiam Ecclesiæ Catholicæ aliquando vsitatam, quod nos concedimus, modò id in Ecclesiæ Catholicæ vnitate fiat, vt postea audietis. Non tamen inde sequitur, eam solam, institutioni Christi esse conformem, & omnibus in vniuersum sub detrimēto salutis necessariā, vt illius assertores Sophisticè cōcludūt. Quæret aliquis. Quid igitur causæ est, quòd primitiuæ Ecclesiæ, vnius & vtriusque speciei vsus erat indifferens? Cui breuiter respondeo.

Communio sub una uel utraq; specie cur Ecclesiæ primitiuç erat indifferens.

deo. Eius rei has præcipuas fuisse causas. Primò, diuersos ritus & cōsuetudines sacrificiorū participandorum, apud illos recens conuersos Christianos. Qui enim ex Iudæis conuertebantur, cùm fuissent edocti, tantundem sub vna, quàm sub vtraq; specie percipi, maluerūt retinere inoletum vsum legalium sacrificiorum, de quibus ferè cibo, non autē potu participabant. Huc accedebat, quòd pleriq; illorū erant f Nazaręi, qui sese per votum solēne potu vini prorsus abdicabant. Cōstat autem tum exemplo S. Iacobi fratris Domini, tum ex Actis Apostolicis, vota illa Nazaræorum, circiter viginti annos post ascensionē Domini inter Christianos perdurasse. Cùm igitur talibus votis obstrictis, nō licuisset vinum g degustare, sequitur eos quotidia-

Religiosi legales à uino abstemij.

f. Nume. 6 a. Iudic. 13 a.

Actor. 18 c. 21 d.

g. Ierem. 35 a

tidianam ferè communionem primitiuæ Ecclesiæ familiarē, sub vna panis specie frequentasse. Diuerso rursus modo, ex gentibus conuersi, cùm haberent consuetudinem, de sacrificijs, per potum etiam vini participandi (vt sacræ quoq; attestantur literæ) maluerunt in sumptione sacræ Eucharistiæ eandem consuetudinem retinere: Quod Apostoli (cùm res indifferēs esset) facilè illis permittebant, ne fortè in fide adhuc imbecilli putarēt, se minus ex Christi, quàm olim ex [k] Belial sacrificio percipere. Post illud primitiuæ Ecclesiæ sæculum, exorta est impia Manichæorum hæresis qui inter cœteros errores [l] asserebant, creaturas quibus ad malum vsus esse posset, à malo Deo, hoc est dæmone, fuisse creatas: propterea q; vinum quod inebriare potest,

Deuter. 32 c.
1. Cor. 10 e.

k. 2. Cor. 6 c.
1. Cor. 10 e.
Vsum calicis cur aliquando Ecclesia frequētabat.
l. Aug. lib. 30 cōtra Faustum cap. 5.
Et libro de morib. Manich. cap. 11

tanquàm malum, à sacrificio & vsu Eucharistiæ prorsus reijciebant. Addebant & illud, Christū non habuisse verum & organicū corpus, sed fantasticū, propterea q; sanguinem ab Eucharistia excludebant. Ecclesia igitur Catholica, ad impiam istam hæresim è memoria hominum euellendam (vt constat ex Leone Papa) constituit, vt vniuersi qui Christiano conserentur nomine, in festo Paschatis, publicè & in facie Ecclesiæ, ad sumptionem sacræ Eucharistiæ sub vtraque specie essent obligati: vt nimirum actu & vsu Ecclesiæ contrario, illa hæresis ex fidelium mentibus exploderetur, & occulti Manichæi Catholicis permixti, ex publica communione deprehensi, puniri potuissent. Et de tali præcepto intelligendus est ille

Item libro de heresibus ad Quoduultdeum.

Leo Primus serm. 4. de de Quadragesima.
Et Epist. 10. ad plebē Cōstantinop.

De Consecr. dist. 2. cap. Cōperimus.

est ille Canon Gelasij, vbi inquit: Comperimus, quòd quidam sumpta tantūmodò corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstineant: qui proculdubiò (quoniam nescio qua superstitione docentur astringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diuisio vnius eiusdē mysterij, sine grandi sacrilegio nō potest prouenire. Frustra igitur hæretici eum Canonem adducunt cōtra Catholicos, qui superstitionem illam quam diximus Manichæicam, in vsu vnius speciei, potius cū Gelasio damnent, quàm vllatenus admittant. Vt illud omittam, quod illud Gelasij edictum, titulus eius & glossa, ad communionem, non laicorum, sed sacerdotum conficientium hoc sacramentum, referat. Licebat tamen etiam tunc temporis,

ris, præter talem publicam & solennem communionem, in priuata communione, vnica specie vti. Illę verò partes orbis Christiani, quas hæresis Manichæa non cōtaminauerat, in auita cōsuetudine sub vna specie communicandi, quæ magis erat vsitata, remanebant. Cuius antiquitatem contra calumnias hęreticorum, vel illud prodit, quòd nostra Polonia à sexcentis & amplius annis ad Christi fidem conuersa, vsum communicandi sub vna specie nūquam immutarit. Extincta Manichæorum hæresi, cæpit paulatim Ecclesia ad pristinum sub vna specie communicandi modum redire: Maximè vero ex occasione cōtrariæ hæresis Berengarij, qui primus negare ausus est realem Christi in Eucharistia præsentiam. Ideo eius discipuli sic Christianis solebāt impro-

Vsus alterius tantùm speciei perpetuus, & quomodo cōfirmatus.

improperare: Si (dicebãt) in Eucharistia sumitis verum Christum, dum speciem carnis & sanguinis, in ipsa sumptione diuiditis, sequitur, quòd corpus exangue, & sanguinem exanimem, & sic Christũ mortuum comedatis. His accedebat adhuc repullulans hæresis Nestoriana, [m] quæ corpus Christi purè humanum comminiscens, sub specie panis tantùm corpus, sub specie autem vini solum sanguinem, & consequẽter Christum diuisum & mortuum, in Eucharistia constituebat. Vt igitur Christiani ostenderent, se in Eucharistia percipere viuum Christum, qui ad diuisionẽ specierum non esset alligatus, redierunt ad communionem sub vna specie. Nullum tamen tunc de ea re vniuersale præceptum erat promulgatum; donec successu temporis

m. Conciliũ Ephesinum Can. 2. & 11. 1. Ioan. 4 a.

Communio sub vna specie, quando & cur erat præcepta.

ris

poris Hussitæ communionẽ vtriusq; speciei, ex præcepto Chri omnibus promiscuè necessariam esse assererent. Exinde enim coacta ẽ Ecclesia, in Concilio [n] Constantiensi, publico edicto, communionem laudabilem vnius speciei comprobare, & contrariã hæresim anathematizare. Quod edictum fuit postmodum à Concilio [o] Basiliensi cõprobatum. Quicunq; igitur cõtra istorum Conciliorum edicta, communione vtriusque speciei vtitur, præter modum à sacra Tridentina Synodo præscriptum, is iudicio diui Augustini, cum Donato & similibus Ecclesiæ hostibus, hæreticus esse censetur. Præter has rationes satis vrgentes, habuit Ecclesia cõplures alias, non minus pposito cõuenientes: inter quas hæ sunt præcipuæ. Prima, quòd illis temporibus,

n. Sessione 15.

o. Session. 30.

Aug. lib. 2. contra Donatistas Capite 4.

Prima ratio communio.

M

nis sub vna specie.

bus, quãdo vsus vnius speciei ma=
ximè propagari cæpit, cõuerteban
tur ad fidem Catholicam eæ natio=
nes, præsertim septẽtrionales, apud
quas ob nimios algores, vinum nõ
solùm non proueniebat, sed ne im=
portari quidem poterat: saltẽ au-
tem non in tanta copia, quanta ad
tot hominum communionem, quę
tunc frequentior fiebat, sufficeret.
Præcauens igitur mater nostra Ec-
clesia, ne vel populus ille, tam salu-
tari Sacramẽto defraudaretur, vel
fides illius adhuc nouella fluctua=
ret. cũ vidisset alias nationes vtra-
que, se autem vnica specie potiri,
in re alioqui indifferenti, pacẽ po-
tius & charitatem sibi propriam se-
ctata est, vt vna specie passim Chri-
stianus orbis vteretur. Secũda ra-
tio erat. Quòd in calidis regioni-
bus, licet vini ingens sit copia: plu-

Secũda ratio

rimi tamen hõies, præsertim fœ=
minei sexus reperiuntur, qui à na-
tura vinum adeò exhorrent, vt il-
lud ne gustare quidem sine nausea
valeant. Prudenter ergo & aman=
ter Ecclesia, vnicam speciem poti-
us comprobauit, ne tot Christia=
norum agmina, propter memora=
tas vini incommoditates, vsu sacrę
Eucharistiæ excluderentur. Tertia
ratio. Cõcesso hoc casu Metaphy-
sico, ꝙ omnes regiones vino abun=
darent, & nullus Christianorum
esset qui illud aspernaretur: in tan=
ta tamen populi Christiani multi=
tudine & concursu, irreuerẽtia ef-
fusionis sanguinis Chr̃i neutiꝗ vita
ri posset. Nã ꝑ numerosa cõmuni=
cantiũ multitudine, qualis in bello,
ingruẽte subito cõflictu, vel in Pa=
schate, quando præceptũ cõmuni-
candi omnes vrget, contingere so=

Tertia ratio.

let, oporteret etiam integras vini cupas consecrare, in cuius vltrò citròq; transfusione, quomodo quæso effusionis sacrilegium vitari posset? Nec mirum est hæreticos, qui ferè veritatem corporis Christi, aut prorsus negant, vel de illa vacillãt, hac sanguinis Christi iniuria non affici: Ecclesiam autem Catholicã, quæ vt de alijs, ita de hoc, fidem integram obtinet, multum hoc reddit sollicitam, præsertim cùm Apostolus seueras pœnas denunciet indignè hoc sacramentum tractantibus, vel Christum conculcantibus, & sanguinem eius polluentibus.

1. Cor. 11 g. Hebr. 10 e.

Quarta ratio.

Quarta ratio est. Quòd in vsu promiscuo calicis, hoc Sacramentum, quod alioqui deuotionem, pacem, & charitatem Christianam efficit, murmurationes potius, dissidia, & turbas, inter Christi fideles induceret.

ret. A quo periculo ne Corinthiorum quidem Ecclesia, ab ipso Beato Paulo edocta & gubernata, erat immunis, quando ab eo repræhenditur, quòd circa cœnam Domini alij erant ebrij, alij esuriebãt. Quod etiamnũ in promiscuo calicis vsu, maximè vbi vini non tanta est copia, eueniret. Diuites enim præriperent merum generosum, pauperibus autem labruscas & loram relinquerẽt, vel vile quidpiam, quod nec tutò consecrationem admitteret: & fortasse rudioribus persuaderet, vinum aquosum, aquam magis, quàm sanguinem Christi referre: cùm p vtrunq; ex latere Christi simul profluxisse non ignorent. Præterea cùm aduersarij asserant, Christum iussisse ex hoc, id est vno & eodem calice, omnes bibere: quid facerent magnates delicati & nause-

1. Cor. 11 d.

Ioan. 19 f. Math. 26 c.

nauseabūdi, si esset illis bibendū ex eodē calice, ex quo viderēt ante se (si ita sors ferret) alios aliqua pestilenti lue, vel oris aut barbæ fœditate seu deformitate, affectos præbibisse? Quamuis enim Christiana charitas apud aliquos talia ferret, naturæ tamē ipsius nauseans infirmitas, in multis efficeret, vt periculum vomitus esset pertimescendū.

Quinta ratio.

Quinta & vltima ratio est. Quòd in calidis vel frigidis nimium regionibus, similit in nauigatione maris, vinum cito corrumpitur, quominùs asseruari tutò posit: quod prohiberet ne Eucharistia p q viatico morientium, magna cum salutis illorum iactura, asseruari posset. Reliquas causas ob temporis angustias non adduco. Ex his autem quæ dicta sunt, vos ipsi charissimi, iudicate, quanta iniuria afficiant

q.4.Reg.10b

Hæreticorū contra Ecclesiam pro calice rigor.

ficiant Ecclesiā Catholicam aduersarij, dum Christianæ plebi, per Christum libertate donatæ, calicē tanꝗ sacrilegio ablatū, vel vi ereptum, impudenter conclamant Cùm (vt audistis) Ecclesia, hac in parte, contra mentem Christi spōsi sui, & scripturæ sacræ sensum sanè intellectum, nihil commiserit: immò quamuis autoritate scripturæ in hoc destituta fuisset, teste B. Augustino, ordinem Cœnæ Domini, ex Apostolorum placitis viua voce traditis, à Christo commēdatum habuerit: Super hæc autē omnia, tot & tam graues ad id rationes habuerit. In his enim rebus (docet alibi S. Augustinus) de quibus nihil certi statuit scriptura sacra, mos populi, mos Dei, vel instituta maiorū pro lege tenenda sunt. Immò meminisse debetis, etiā Prophe-

Augu. Epist. 118. ad Ianuarium.

Idem testatur Concilij Basilien. Canon 30.

Epist. 86. ad Casulanū.

phætiam veritate euentus cõpro-
batam, si modò à regula auitæ fidei
dissonet, non in eruditionem dari,
sed in tentationem diuinitus per-
mitti. Tunc enim (inquit Moyses)
tentat vos Dominus Deus vester,
vt palàm fiat, vtrum diligatis eum,
an non. Qualem tentationem, in
hoc potißimùm vnitatis & chari-
tatis Sacramento esse vitandam, in-
dicat Apostolus, dũ inquit: Opor-
tet esse hæreses, vt qui probati sunt
(in auita religione) manifesti fiant
in vobis. Cuius rei insigne, & Chri
stiana imitatione dignißimum, nec
à præsenti instituto nostro alienum
exemplum, habemus in filijs Re-
chab: qui Deo per Prophætam su-
um imperante, adduci non potue-
runt, vt vinum degustarent: eam
solùm ob causam, quòd à patre suo
præceptum abstinendi à tali potu
perpe-

Deuter. 7 a. Vide Vincẽtium Lirinẽsem libello contra hæreses.

1 Cor. 11 d.

Ierem. 35 a c.

perpetuum accepissent. Quæ eo-
rum obedientia, Deo tam grata ac-
cidit, vt hoc argumento confunde
re voluerit populum illum Iudai-
cum, qui, cum nostri temporis hæ-
reticis, in lege diuina, potius (vt lo-
quitur Diuus Augustinus) atten-
dunt literam iubentem, quàm spi-
ritum iuuantẽ: dum vana quadam
(vt ostensum est) præcepti imagi-
natione ducti, constantißimũ Ec-
clesiæ Chr̃i sponsæ, & matris nr̃æ
de vsu vnius speciei institutũ, ausu
nefario præsumant temerare. Illi
itaq; ipsi sunt tali sacrilegio damnã-
di, qui verbis Chr̃i perperam ad su-
am libidinẽ detortis, oẽs Christia-
nos, sub salutis ęternæ discrimine,
ad sumẽdã vini spẽm (de hac enim
cõtendunt, non de Chr̃o qui sub al-
terutra integer ẽ) adstringũt. Quod
cũ nullo modo ab omnib⁹ pręstari

Lib. 1. contra aduersarium legis cap. 17.

 possit

posſit, vt modò oſtendimus, clarũ eſt, eos potius ſalutem æternam pꝛoximis eripere, eorumq; animas tã præſumptuoſa doctrina enecare. Sed quibus argumentis & rationibus errorem ſuum adſtruant, vt in altera mox ſequẽti Concionis parte audiatis, vos ipſos, quæſo, deuota attentione accingite.

Secunda pars.

QVANDOQVIDEM HORA inſtituta, iam ferè elapſa eſt, quàm breuiſsimè hîc adducam aliquot duntaxat præcipua ſacræ ſcripturæ teſtimonia, & rationes quaſdam, quibus hæretici communionem ſub vtraq; ſpecie maximè vrgent: eaq; ſimul confutabo. Primùm autem omnium ſciendũ eſt, hæreſis iſtius de neceſsitate cõmunican-

Hæreſis de vtraq; ſpecie origo.

nicandi laicis ſub vtraq; ſpecie, fuiſſe primũ diſſeminatorẽ in Bohemia, quendam Petrum Dræſnenſem ſectæ Valdenſium, vt Aeneas Syluius teſtatur. Qui verbis illis potiſsimùm decipiebatur, vbi Chriſtus dicebat: Niſi manducaueritis carnẽ filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quæ verba quòd nõ agant de communione ſub vtraq; ſpecie, ſatis in prima parte edocti fuiſtis. Quòdſi autem pertinaces ad talem ſenſum ea detorquere non deſinerent, adhuc tamen non omnes (vt volunt aduerſarij) hoc præcepto ſtringerentur: propter duas potiſſimùm rationes. Altera eſt: Quòd ea ratione non poſſent ſaluari infantes baptiſati, & pleriq; Chriſtianorum, qui vel naturaliter à vino abhorrentes, vel phræneſi aut ſimili ali-

Hiſtoriæ Bohemicæ Capite 35. Cochleus libro 1. Hiſt. Huſsitarum. Ioan. 6 f.

Chriſtus nõ iuſsit omnes ſub vtraque ſpecie. communicare.

li aliqua ægritudine affecti, Eucharistiæ, presertim sub vtraq; specie, non sunt capaces. Deinde, quòd de Baptismo, qui ad salutem magis quàm Eucharistia necessarius est, strictius edictum Christus reliquerit, inquiens: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Hîc enim Christus vtitur propositione vniuersali, illic verò particulari, vel certè indefinita: cùm certis illis hominibus dicat: Nisi manducaueritis &c. Fatentur tamen ipsi Hæretici, tempore extremę necessitatis, baptismum sine aqua, in voto, vel in sanguine martyrum, ad salutem sufficere. Ridiculi igit sunt, quando in propositione vniuersali patiuntur exceptionem, in particulari autem, seu indefinita, orbem volunt iucludi vniuersum. Cùm igit Lutherus

Ioan. 3. a.

therus hoc loco S. Ioannis, se magis à Catholicis vrgeri, quàm defendi videret, eum tanquam ad rem non pertinentem reliquit, & ad alium tanquam inexpugnabilem, cum suis discipulis cōfugit: nimirum vbi Dominus apud Matheū dicit: Bibite ex hoc omnes. Asserens, his verbis preceptum bibendi calicē, omnibus Chro asscriptis fuisse relictū. Sed si hoc nomē (omnes) quoties in sacra scriptura reperitur, semper ad eos qui calicem vrgent, pertinebit, viderint tales, quàm eggregij erūt Chri cōpotores, dum alibi à Domino sic audiunt: Omnes quotquot ante me venerūt, sunt fures & latrones. Et quod in eodem Capitulo dicit: Omnes vos scādalū patiemini ppter me, nocte hac: illa nimirum, de qua ipsi, suæ tam preclaræ cœnæ formulam, ex verbis diui Pauli

Lutherus libro de Captiuit: Babylonica. Et in Epistola ad Ducem in Prussia.

Prima obiectio Hæreticorū: Bibite ex hoc oēs. Math. 26 c.

Ioan. 10 a.

Math. 26 c.

Cœna hæreticorū quomodo nocturna.

Ioan. 13 d. Pauli ordiuntur: vel de qua S. Ioannes sic dicit: Cùm accepisset Iudas buccellam (vino imbutam) cõtinuò exiuit (sic illi ex Ecclesia) erat Math. 27 c. autem nox. Ibidẽ apud S. Mathæum non multò post reperiẽt: Omnes exclamarunt: Dimittatur Barrabbas, crucifigatur Christus. Si tamen non maiores his blasphemias, ex nostri temporis hæreticis audias. Sed quia fortasse hæc quæ adduxi, ad se dicta fuisse negabunt, poterint etiam de illo, quod sibi veluti hæreditate vendicant, saltẽ dubitare. Quam dubitationẽ statim illis auferent omnes Euangelistæ, qui vno ore fatentur, Christũ duodecim Apostolis comitatum, Hierosolymam tunc ingressum, cœnæ vltimæ accubuisse. Vnde sequitur ad eos etiam duntaxat illud dictum fuisse: consequenter autem ad eos

Calicis potio quibus præcepta. Math. 26 c. Marci 14 c. Lucæ 22 b. Ioannis 13.

quoq;

quoq;, qui eis in officio Sacerdotali, perpetuo erant successuri, ad offerendum iuge sacrificium, quod tunc fuisse institutum, in prima parte ostendimus. Ne autem Luthero quatenus Apostatæ & laico, & aliis similibus, aliquid ad calicem illũ iuris esset reliquũ, addidit S. Marcus: Et biberunt ex illo omnes.

Quamuis igitur in illis verbis pręceptum vniuersale bibendi calicẽ esset, ecce testimonio S. Marci iam adimpletum euanuit. Quorsum ergo libertatẽ Christianam iactantes hæretici, specie vini, quæ tot habet difficultates & dispendia, alligant Christianis onera tam grauia Actor. 15 b. quæ nec Patres nostri, ex quo Polonia Christo nomen dedit, portare potuerunt? Et profectò hæc verba S. Marci ad tantas angustias redegerunt Lutherum, vt illis mendum

Lutherus in magna con-

fessione parte 2. de Cœna Domini Tomo 2. Vitemberg.

dum subesse, nescio magisue proteruè, quam impiè astrueret, & S. Marci (Biberunt) in suum (Bibite) transformaret. Sed hoc erat hominis peruersi ac impudentis ingenium, eam scripturam, qua contra sua somnia stringeretur, vel prorsus negare, vel in parte, pro sua libidine deprauare. Huc accedit: Quòd si Vtraquistæ tantoperè cõtra nos vrgent extrema verba, (Bibite omnes:) vrgebimus & nos similiter contra illos, verba intermedia (ex hoc) Depromant igitur viri acuti, illum calicem materialem, quem tunc Christus Pronomine demonstratiuo ostẽdebat, eumq́ʒ ad bibendum porrigant, & credemus eis. Quod ideo dictũ sit, vt boni viri resipiscant, & non verborum cortice simplices decipiant: sed ipso sensus synceri nucleo illuminati

minati, hanc & reliquam veritatẽ ab Ecclesia Catholica mutuentũr. Obijceret eorum aliquis. Qui igitur factum est, quód Christus cúm daret corpus suum, nõ diceret, comedite hoc oẽs: porrecto autẽ calice addidit: Bibite ex hoc omnes? Nõne ideo, vt futurum vestrum ô Catholici, errorem reprę̈henderet, qui laicos à calice excluditis? Respondeo, hanc quæ illos sollicitat quęstionem Christo tunc in mentẽ non venisse: Habet enim antiquissimus Canon missæ, Christum dixisse: Manducate ex hoc omnes. Quòd si obstinati negarent, esset adhuc in promptu ratio, cur Christus porrigendo corpus suum, diuisionis mentionem non faceret. Ipse enim frangebat, hoc est singulis particulas diuisas porrigebat. Calicis autem alia erat ratio: Sanguis

Cur calicem omnes bibere iussi, non item corpus manducare.

guis enim Christi quem continebat, ab omnibꝰ Apostolis erat participandus: Monet igitur Christus vt proportione seruata ex illo biberent. Quod ipse Christus explicat, dum apud S. Lucam addit: Accipite (calicē) & diuidite inter vos Alioqui enim & nobis sic inferre licebit: Christus nō dixit; manducate ex hoc omnes: sed tatùm: Bibite ex hoc omnes: Ergo solus calix sine altera panis specie sumi poterit. Si igitur de mente Chri explorada nos decet esse sollicitos, potius suspicandum est, Christum praeuidisse, Vtraquistas malè fuisse intellecturos verba sua, Bibite ex hoc omnes: propterea S. Marco inspirasse vt adderet, quod alij Euāgelistae omiserunt: Et biberunt ex illo omnes. Hîc iam primum illorum & quasi inexpugnabile propugna-

Lucę 22 b.

pugnaculum concidisse videtis. Idcircò ad aliud transfugiunt, quod nobis sic opponūt. D. Paulus (inquiunt) describēs Coenam Domini accuratiùs quàm Euangelistae, eam nobis sic tradidit, sicut ipse à Dño acceperat, hoc est sub vtraqꝫ specie: semper coniungendo pani calicem, corpori sanguinem, cibo potum. Eius igitur vsum ad vnam speciem reuocare, audacia plusqꝫ sacrilega est. Respondeo simpliciter. Si D. Paulus ijs verbis propositum habuisset, aliquid de vna vel vtraqꝫ specie statuere, esset aliquid quod inde aduersarij cōtra nos haberent. Atqui hoc Apostolo ne in mētem quidem venit: quandoquidem primitiuae illi Ecclesiae, de speciebus nulla intercesserat differentia. Cōstat autem, tum ex ipso verborum illorum contextu, tum ex

Secunda obiectio Hereticorū ex S. Paulo 1. Corint. 11 d.

D. Paulus qua intētione describit Coenam Domini.

Theodoreto super hũc locum, hoc inprimis in illo loco agere Apostolum, vt irreuerentiam & quosdam abusus Corinthiorum circa Cœnã Domini reprahenderet: maximè verò, quòd Christi exemplum superstitiosè imitantes, ante sumptionem Eucharistiæ, cœnas proprias exquisitis epulis præsumebant, ab eisq; pauperes, cum quodam contemptu arcebant. His permotus Apostolus, repetit summatim in sua ad illos Epistola, doctrinam de Cœna domini, quam illis oretenus fusiùs tradiderat, vt exinde haberet occasionem, eorum leuitatẽ & fastum in peragenda re tanti momẽti, liberius perstringendi. Ideoq; sępius eis inculcat pasśionis & mortis Christi memoriam, quæ ibi repræsentatur: eosq; qui indignè sumerent, reos corporis & sanguinis, hoc

Cur S. Paul9 sępè inculcat calicẽ et mortem Christi.

hoc est mortis Christi, denunciat: vtpotè qui more r Iudæ proditoris, incruentam quidem hostiam pacifico (vt Psaltes cõquæritur) ore attingant, sed occulto suo flagitio, Christum (vt D. Paulus intelligit) rursus sibimet ipsis crucifigant. Vbi diligenter aduertendum est, Apostolum corpus & sanguinẽ Christi non solùm ad manducationẽ & bibitionem, vt volunt nouatores, referre, sed etiam ad pasśionem Domini. Ideoque quando de pasśione Christi res est, loquitur copulatiuè dicens: Reus erit corporis & sanguinis Domini, hoc est mortis, quę profusione sanguinis à corpore fuit patrata: E cõuersò autem, solam sumptionem Eucharistiæ, disiũctiuè enunciat, inquiens: Quicunque manducauerit corpus Domini, vel biberit calicẽ Domini indignè &c.

r. Ioan. 13. c

Psal. 40 b.

Hebr. 6 b.

Sanguinem Christi non soli bibitioni Paulus accommodat.

 satis

satis clarè ostendens, ad communionem sufficere alteram tantùm speciem. Panis autem speciem, esse ad hoc, quàm vini commodiorem, in priori parte probatum est. Adde: Si Apostolus hoc loco, de necessaria calicis sumptione aduersarijs cauere (vt illi autumant) voluisset, profectò, sicut cum manducatione bibitionem, cum carne sanguinem, ita cum pane vinum, coniunxisset. Atqui nullam prorsus vini mētionem faciens, cum pane coniungit calicem, qui (vt postea probabo) sæpè in scriptura sumitur pro passione & morte Christi, quam hoc loco D. Paulus Corinthijs maximè inculcare volebat. Deniq; neque illud prætereundum est, Apostolū hoc loco, nō hoc agere, vt Corinthijs exactā Cœnæ Dn̄icę formam præscriberet, (vt aduersarij ineptè conte-

CœnaDomini Apostolo Traditione constat.

contendunt) præsertim de hac specierum Eucharistiæ controuersia, quam ante tempora Ioannis Hus Ecclesia non agnouit. Quin potius, totam hanc doctrinam alligat traditioni: dum eam sic exorditur: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi (non perscripsi) vobis. Deinde sic eam concludit: Cætera cum venero disponam. Ex quibus verbis probat D. Aug. Christum cœnam quidem suam instituisse, & sumendam præcepisse, sed quo ordine deinceps sumenda esset, hunc locum Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, reseruasse. Cùm igitur nusq; postea D.Paulus vel quisq; alius Apostolorum, scriptum reliquerit, de vtriusq; vel alterius tātùm speciei sumptione, sequit̄, hoc ex traditione tot sœculis in Ecclesia cōprobata sumi oportere.

Aug. Epist. 118. ad Ianuarium cap. 6.

Heretici quã vane suã cœnam conficiant, & dispẽsent.

tere. Videant ergo nouatores quã inepti (ne dicam sacrilegi) sint, quando istis D. Pauli verbis, prorsus historicis, vel exhortatorijs, suam cœnam consecrant: cùm formas Sacramentorum, non historica narratione, sed ipsa Christi institutione constare oporteat. Alioqui cur baptismum non similiter conficiunt prolixa illa narratione, quam Christus ad Nicodemum ea de re contexuit? Et profectò ipsimet satis declarant, verba illa Paulina, ad formam Cœnæ Dominicæ esse insufficientia: proptereaq; in suis Agendis, insidiosè interserunt eis verba illa ex S. Mathæo: Bibite ex hoc omnes: vt vel inde intelligas, qua fide tractent, & suis proponant sacram scripturam, quam alioqui nullam mutationem admit-

Ioannis 3.

Heretici ludunt formis Sacramentorum & scriptura.

Math. 26 c.

admittere, contra nos sæpius clamitant. Neq; tamen homines stupidi aduertunt, formæ huic sic cõsarcinatæ, aliquid adhuc deesse, illa nimirum verba ex sancto Marco, vbi dicit: Et biberunt ex illo omnes. Cùm igit careant Sacerdotio, ab Apostolis legitima successione transmisso, certaq; cõsecrandi forma, & circa materiam specierum non satis sibi constent, fit vt loco vtriusq; speciei (de qua gloriantur) nullam interim conficiant: sed puro pane & vino, sua suorumq; corpora, anima famelica interim relicta, reficiant: sitque illis (vt verbis D. Augustini vtar) panis & calix, alimentum refectionis, non Sacramentum religionis. Vltimum argumentum tanquam inexpugnabilem quandam machinam sic cõtra nos dirigunt.

Aug. lib. 20. cõtra Faustũ cap. 11.

Vltima obiectio de violatione Testa-

menti Christi.
Si (inquiunt) iuxta u Apostolum, nefas est, testamētū hominis sperne re, aut superordinare: longè maius piaculū erit, in testamento Dei & Saluatoris nostri tale quidpiam cōmittere: Per vos autem Catholicos apertè violatum est Testamentum Christi, his verbis commendatum: Hic calix est nouum Testamētum in meo sanguine: Igitur fidei & promissionis Christi exortes estis censendi. Nos verò libenter concedimus, eos qui violationis testamenti Christi, sacra scriptura conuicti fuerint, criminis perfidiæ esse reos. Sed ne temerè rem tanti momenti diiudicasse quis videatur, libet naturam testamenti paucis explicare. Testamentum igitur (vt hoc loco à Diuo Paulo accipitur) est donū, aut beneficium aliquod, per hominē moriturū, amico & hæredi, vltimæ

u. Galat. 3 c.

Lucæ 22 b.
1. Cor. 11 c.

Testamētum Christi quod & à quibus quōodo violatur.

tima voluntate, & firmo aliquo testimonio, relictum, & perpetuò ascriptum: Iam ex hoc testimonio quod illi addūcunt, hoc tantùm videre est, Christum reliquisse nobis testamento calicem: Sed vtrum ad bibendum, non satis illa scriptura explicat: Quin potius asserit ibidem Christus, sese calicem illum, hoc est sanguinem in eo contentū, effusurum esse: quod autem sic effunditur, bibi vix potest. Superest igitur, vt ex tota scriptura sacra, de eo calice, qui nobis testamento ascriptus ē, accuratiùs inquiramus: præsertim cùm eam partem, quæ in hoc fuerit conuicta, perfidię crimen, ex mutuo pacto subsequatur. Sanè qui sacras paginas studiosius euoluunt, inueniunt nomen calicis in sacris literis variè vsurpari. Dicitur enim aliquando x calix pœnarum

Quis calix est Testamentū Christi.

Calix Testamento legatus hæreticis qualis.

x. Psalm 10 b 74 b. Isaiæ 51 f. Ierem. 25 d. Apocal. 14 b 16 d.

narum & damnationis æternæ: calix soporis mortiferi: calix iræ, & indignationis Diuinæ: calix furoris Domini: calix turbationis, & insaniæ bellicæ: calix solitudinis, stuporis, & maledictionis: & plurima his similia, in scriptura sacra passim sunt obuia. Et fortasse tales calices, vel illorum aliquis, concessit in hæreditatem hæreticis, eò quod sua de calice peruicaci contentione, Ecclesiam Catholicam conturbarint. Certè calix testamenti, de quo hîc Chrs loquitur, si suam literam spectent hæretici, non principaliter ad potum destinatur. Dicitur enim esse calix in Christi sanguine: cum è conuersò si bibendus fuisset, sanguis potius in calice fuisset constituendus. Vnde sequitur calicem in sanguine CHristi, non minùs intelligi passionem & mortē

Calix Testamenti Christi verè quis.

Zachar. 9 c.

mortem Christi, quę iuxta Zachariæ vaticinium, facta est in sanguine testamenti, hoc est profusione sanguinis, quæ testamentum vocatur ab ipso Christo, sic dicente: Hic calix testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Vbi Christus simul etiam expressit rem nobis testamento calicis, hoc est mortis suæ donatam, nimirum remissionem peccatorum. Quod ipsum attestat sanctus Paulus, alibi promissionem diuinam per Isaiam factam, sic adducens: Et hoc illis à me testamētum, cùm abstulero peccata eorum. Similiter Prophæta Dauid, testamentum Christi redemptioni tribuit, sic inquiens: Redemptionem misit Dominus populo suo, mandauit in æternum testamētum suum.

Lucę 22 b.

Rom. 11 d.

Isaiæ 59 d.

Psalm. 110 a.

De

Calix paſsionis & mortis Christi.

De hoc calice paſsionis & mortis Chriſti ſæpiùs meminit ſacra ſcriptura. Sed breuitati noſtræ ſufficit verba ipſius Chriſti de eo attexere, quæ in horto agonizans, ter locutus eſt, in hunc modum: Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire à me niſi vt bibam illum, fiat voluntas tua. Et iterum ad Petrum: Calicẽ quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum? Vbi aduertite, Chriſtum non ſolùm mortem ſuam appellare calicem: ſed etiam mortis ipſius perpeſsionem, bibitione calicis exprimere. Noſtri autẽ Vtraquiſtæ, totam calicis mentionẽ & vim, ad potationem trahunt: compaſsionis & mortificationis ſuorũ tot turbas de religione ciẽtium deſideriorum, qua Chriſto capiti cõformari debebant, prorſus obliti. Sed & in veteri lege, & communi genti-

Math. 26 d.

Ioan. 18 b.

Calicis bibitio quid deſignat.

Teſtamẽta ſeu fœdera profuſione non

gentium iure & conſuetudine, teſtamenta ac fœdera pacis ac amicitiæ ſtabiliendæ, non bibitione, ſed profuſione ſanguinis peragebant. Cuius rei exempla in ſacris literis cernuntur, in [y] Abrahamo, & [z] Iacob: præcipuè autem in Moyſe, [a] qui fœdus teſtamenti inter Deum & populum Iſraheliticum innouãdo, ſanguine animalium morte pfuſo, & ſacrificato, populum illum aſpergebat inquiens: Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit vobiſcũ Deus. Quæ verba quaſi ad viuum expreſsit Chriſtus, quando fœdus noui teſtamenti inſtituendo dicebat: Hic eſt ſanguis noui Teſtamẽti, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Hinc eſt, quòd Dauid Teſtamentum hoc in ſacrificijs potiſsimùm reponat dicens: Congregate illi ſanctos eius. qui

bibitione ſanguinis peragebantur.
Liuius lib. 1. ab Vrb. cõd.
Virg. 8 Aeneid.
y. Gene. 15 b
z. Gen. 31 f.
a. Exod. 24 b

Math. 26 c.

Pſalm. 49 a.

qui ordinant testamentum eius su-
per sacrificia. Ex quo & ex aliis le-
galibus sacrificiis, probat S. Paulus
Hebr. 9 & 10 ad Hebreos scribēs, legem, Sacer-
dotium, & sacrificium nouæ legis:
Testamenti noui & veteris discrimē. Simul ostendens, quòd sicut testa-
mentum hominis, ita testamentum
Dei, in vtraq; lege, morte confir-
matum est: veteris quidē legis te-
stamentum, morte animalium, eò
b. Deuter. 28 Ierem. 7. quòd [b] bona potissimùm terrena
& caduca per illud promittebant:
nouæ verò legis testamētum, mor-
te ipsius Christi, qui cùm sit æter-
nus Dei filius, æternam quoq; no-
bis redemptionem & perpetua bo-
na, hæreditate reliquerit. Quēad-
modum autem testamentum ho-
minis, non solùm morte, sed etiam
Lex noua etiam est Testamentum Christi. aliquo certo ac firmo testimonio
stabilitur: simili modo Christus te-
stamentum suum, non solum mor-
te,

te, sed etiā verbi sui inuicto testi-
monio roborare voluit: eo modo
quem ibidē Apostolus ex Ieremia Hebr. 8 b.
Prophæta desumit inquiens: Hoc Ierem. 31 f.
est testamentum, quod disponam
domui Israhel (Ecclesiam nouæ le-
gis intelligit) post illos dies, dicit
Dominus: dādo leges meas in mē-
tem eorum, & in corde eorū (non
dicit [c] in charta & atramento tan- c. 2. Ioā. 1 d.
tùm, vt volunt nouatores) super- 3. Ioan. 1 d.
scribam eas &c. quia propitius ero 2. Cor. 3 a.
iniquitatibus eorum, & peccatorū
eorum iam nō memorabor. Qui-
bus verbis Deus per Prophætam,
conclusit omnes testamenti partes
paulò ante descriptas. Exprimit
enim donum seu beneficium, nobis
testamento relictum, remissionem
nimirum peccatorum, per calicem
sanguinis, hoc ē passionis & mor-
tis Christi, partam: Ostendit eti-

O am

am notam quandam autenticam, per quam nobis tale testamentum stabiliuit, legem videlicet suam nouam, d in cordibus nostris charitate, per Spiritum sanctum in nobis vigente, exaratam. Ex quibus efficacissimè concluditur, quod vtrumque horum, remissio videlicet peccatorum per mortē Christi, calicis nomine interdū denotata, & lex charitatis Christianæ, sint verum & proprium Christi, de quo inter nos agitur Testamentum. Iam consideremus, vtra pars hoc vtrūque testamentum Christi nefariè (vt aduersarij nos insimulabant) violarit? Quod attinet nos Catholicos, quāuis Sectarij probare potuissent (in quo superius conuicti sunt) testamentum Christi in bibitione calicis necessariò consistere: adhuc tamē tale testamentum violatum nō esset

d. Rom. 5 a. 1. Ioan. 2 d.

Testamentū Christi quis quōodo violauerit.

set per nos, qui bibitione calicis longè perfectius quàm illi, videlicet in sacrificio offerendo iugiter iuxta Dñi mandatum, & Danielis vaticinium vtimur: illi autē sola bibitione hoc præstare volunt. Sequitur igit eos ipsos esse, qui hoc Christi testamentum superordinant ac violant. Primò enim testamētum remissionis peccatorum, per mortiferam effusionem sanguinis Chri nobis partæ, dum isti ad suam duntaxat calicis bibitionem transferūt, quid quæso aliud faciunt, quàm vt cum duce suo e Antichristo, hanc sacrificam mortis Christi memoriam incruentam, ex omni hominū memoria euellant, ac obliterent? Diximus enim antea, manducationem & bibitionem, vitæ potius (si modò non bestialis) quàm mortis Christi memoriam, repræsentare.

Luce 22 b. 1. Cor. 11 f. Dan. 8 d. 11 d.

e. Dan. 8. & 11 2. Tessal. 2 a. 1. Ioan. 2 c. 4 a.

O 2 Mul-

Multæ insuper rationes antea adductæ sunt, ex incommodis & defectu vini, quæ hãc bibitionis memoriam, si promiscua omnibus cẽsenda esset, neutiq; perhennẽ præstare posint. Alteram partem testamenti Christi, verbo Dei (vt dictum est) constantẽ, an non etiam Lutherus cum suis apertè violauit? Primò quidẽ, dum eam illius partem, quæ traditione constat, tanq; fanatica figmenta prorsus exploserit: deinde quòd in libris sacræ scripturæ, partim reijciendis, partim mutilandis, vel augẽdis, vel immutandis, omnia sibi licuisse putauerit. Certè eius rei (ne alia prolixiùs excutiamus) vel in ipsa Cœna Domini, de qua nobis est sermo, nobis non desunt exempla. Primò enim verba illa S. Marci: Et biberunt ex illo omnes, spreuit & superor-

Testamentũ verbi Dei, quõodo violarunt hæretici.

Marci 14 c.

perordinauit, dum (vt antea dixi) ea in dubium reuocaret. Deinde verba illa apud S. Mathæum: Bibite ex hoc omnes, ad Apostolos sacerdotio perpetuo tum insignitos (vt supra probatum est) pertinentia, promiscuæ hominum plebi, tanq; vniuersale, & ad salutẽ necessarium Christi præceptum addixit. Qua in re incautus Apostata incurrit crimen iniqui ac perfidi executoris, commissi sibi testamenti, qui quod legitimis successoribus testamento relictum esset, inter alienos sine discrimine, in fraudem testatoris, & successorum iniuriam, partiretur. Deniq; charitas non postremas huius testamenti Christi partes sibi vendicat: adeò vt eam Chrũs potissimum noui testamenti præceptum, & certissimam Christianæ professionis notam, & quasi sigillum

Math. 26 c.

Testamentũ charitatis spretum ab hæreticis.

lum habere voluerit, sic inquiens:
Ioan. 13. d. Mandatum nouum (id est noui testamenti proprium) do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos: In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem ad inuicem habueritis. Et per Apostolum, sic eam fidelibus commen-
Ephes 4. a. dat: Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis: Vnum corpus, & vnus spiritus: sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma &c. Hanc autem charitatem maximè nobis in hoc sacramento commendat Apostolus, sic
1. Cor. 10 d. inquiens: Vnus panis, & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus. Lutherus igitur cum discipulis suis, apertè violauit hoc testamẽtum charitatis & vnitatis Christianæ, inprimis falsa

&

& sibi repugnanti doctrina de hoc Sacramento. Quidam enim dum scripta eius diligentiùs excuteret, annotauit triginta sex loca de præcepto cõmunicandi omnibus sub vtraque vel vna specie, inuicem sibi repugnantia. Ad quam crudelitatem vt ipse secum pugnaret, quæ furiæ illum concitarint, dissimulare tandem miser non potuit, dum quodam in loco ita scriptum reliquit: Simpliciter volo, vt vtraque species detur & petatur. Et quod amplius est dicimus: Si quo casu Conciliũ id statueret, minimè omnium nos vellemus vtraque specie potiri: immò tunc quidem in despectum illius Concilij vellemus, aut vna, aut neutra, & nequaquam vtraque potiri: & planè eos anathema habere, quicunque autoritate talis Concilij potirentur vtraque. Videtis pij

Lutheri de usu Eucharistiæ varietas, collectore Gasparo Querchameo.

Eiusdem cõtra Concilium malignitas. Tomo 2. de formula Missæ.

 audi-

auditores, eum spiritum, qui vsum vtriusq; speciei vrgendum suggessit, fuisse similem ei, qui Chr̄o olim dicebat: Mitte te deorsum, scriptū

Math. 4 a.

est enim. Nō est enim dubium, Sathanam per hæreticos, tāq; instrumenta sua, hac de vtraq; specie doctrina, cortici sacræ scripturæ aliquomodo consona, fenestram ad omnes reliquas hæreses aperuisse.

Dæmonis calliditas in urgēda utraq; specie.

Plerique enim, curiosa quadam credulitate persuasi, Ecclesiam Catholicam, in articulo tanti momenti, tot sæculis errasse, facilè adducti sunt, vt in reliquis fidei nostræ articulis, autoritatem & vnitatem illius abijcerent: atq; ita à corpore Christi mystico præcisi, in varios & inexplicabiles corruptionis errores sese præcipitarent: quorum faciliùs illis erat tunc principium, quàm modò finem inuenisse. Cùm igit̃

igitur hæretici, dictis tribus modis deprehensi sint testamentum Christi violasse, ore proprio sese condemnant, quòd sint impij & Sacrilegi, quibus in alijs rebus, maximè fidei nr̄æ, credi minimè oporteat.

Hæretici suo ipsorum iudicio, Christo perfidi.

Porrò rationes præter sacram scripturam, eas potissimùm contra nos adducunt.

Rationes hæreticorū pro utraq; specie

Primū quidem, nostras illas rationes, sic contra nos retorquent: Si (inquiunt) Ecclesia olim intermisit vsum vtriusq; speciei, ꝑpter hæreses quasdā euitandas, & vnitatē Christianam conseruandam; nunc ex eisdē rationibus, posset & deberet illam restituere. Sola enim calicis concessio, plurimos ad gremium Ecclesiæ Romanæ reuocaret, qui propterea maximè se ab illa discessisse clamitant.

Concessio calicis auget hæreses.

Quibus sic responsum esto: Lutherum eorum (vt ipse sese

Tomo operum suorum 6. fol. 165. Et Epist. ad Ducem Georg.

